DE SOLILOQVIIS QVAE IN LITTERIS GRAECORVM ET ROMANORVM OCCVRRVNT OBSERVATIONES

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICVS OTTER
TREVIR BORVSSVS.

MARPVRGI CATTORVM A. MCMXIV
TYPIS CHR. SCHAAF

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente Theodoro Birt probata est die XXI. mensis Julii MCMXIV

Theodoro Birt

S.

Quamquam de antiquorum soliloquiis, quae in litterarum monumentis occurrunt, carptim ab aliis[1]), magno autem apparatu ac subtili diligentia nuper scriptum est a Frederico Leo[2]), quem nunc dolemus mortuum, tamen Birtii praeceptoris sententia, quam mecum communicavit et in publicum quoque proximo anno protulit[3]), incitatus studia mea in hanc rem convertere ausus sum. Haec enim Birtius Leonis studiis commemoratis verba fecit (l. l. p. 187 adn. 1): „Eine Vertiefung ist möglich und notwendig. Vor allem fehlt bei Leo ganz Sokrates und alles, was mit ihm zusammenhängt“; et ibidem de Catullo (p. 188 adn. 1): „Dies sein zweites, erleuchteteres Ich, das Catull da von seiner Person unterscheidet, kann nach römischer Art zu denken nur sein „Genius“ sein. Es entspricht dem *δαιμόνιον* des Sokrates“. Itaque si quid in hac re supererat, quod aliquanto accuratius investigaretur, id Socratis daemonium eaque quae similia eodem pertinent esse confido et in hanc maxime quaestionem Birtio suadente incubui.

Duo sunt genera soliloquiorum, quae Iacobo Grimm auctore[4]) discernuntur: soliloquia primi ordinis: „Monologe ersten Grades“; „Ich-Monolog“ et alterius ordinis: „Monologe zweiten Grades“; „Du-Monolog“. Cuius alterius ordinis soliloquia ab illis primi ordinis eo differunt, quod graviore animi adfectione habita maiore adeo vi animi sententiam exprimunt. Quaestiones autem, quas de Socratis daemonio instituo, magis ad alterum, quod

---

1) C. Hentze, Philol. 63 p. 12 sqq.; Th. Birt, Philol. 63 p. 436 sqq.; R. Heinze, Virgils epische Technik p. 425 sqq.

2) F. Leo, Der Monolog im Drama. Ein Beitrag zur griechisch-römischen Poetik. Abh. d. Goett. G. W. X, 5 (1908).

3) Th. Birt, Kritik und Hermeneutik p. 187.

4) J. Grimm, Kl. Schrft. III p. 293.

dixi, soliloquiorum genus pertinent. In his enim homines, qui secum deliberant, intima quadam voce incitati tamquam alterius cuiusdam verbis ipsi se adloquuntur, ita ut duae quasi partes animi secernantur, quarum alteram superiorem, alteram inferiorem dicemus. Quae distinctio quantum in his rebus explicandis valeat, intelleges perlectis verbis eius viri, quem ipsum soliloquii nomen invenisse obiter moneo: Augustinum dico, qui retract. I 4, 1 haec dicit: „inter haec scripsi duo volumina .... me interrogans mihique respondens tamquam duo essemus ratio et ego, cum solus essem. unde hoc opus soliloquia nominavi". His igitur Augustini verbis edocti veram soliloquii naturam perspicimus eam esse, ut colloquium cum superiore animi parte quasi cum altero quodam habeatur. Nam ratio superior est vis, quae in animo principatum obtinet, quapropter antiquos eam divinam vel a dis profectam esse iudicavisse notum est. Quod si probatur, etiam aliud testimonium ex nostris litteris desumptum, quod mirum quantam habeat cum antiquorum sententia necessitudinem, afferre non inutile erit. Goethius enim in fabula Tasso act. III, 2 haec verba scripsit:

> O daß wir doch dem reinen stillen Wink
> des Herzens nachzugehn so sehr verlernen!
> Ganz leise spricht ein Gott in unsrer Brust,
> ganz leise ganz vernehmlich, zeigt uns an
> was zu ergreifen ist und was zu fliehen.

Haec testimonia luculentissima in limine huius opusculi ponantur, quibus quemadmodum viri summi declaraverint rem in hominis animo effectam intellegamus. Quam rem diligentius persequi cum operae pretium esse videretur, antiquorum secum loquendi consuetudinem observare mihi proposui adhibitis et auctis copiis, quas Leo paravit, sed eo consilio, ut praecipue de altera, quae vocatur, hominis natura agerem et quomodo poetae ipsi huius rei rationem habuissent, demonstrarem.

Totius autem quaestionis fundamentum positum esse fateor in Ciceronis illis verbis, quibus ingenium Graecorum antiquorum illustrat Tusc. I, 37: „nihil enim animo videre poterant, ad oculos omnia referebant" vel ut Leop. Schmidtii verba afferam

(Ethik d. alt. Gr. I p. 207): „Nichts ist für den Unterschied der Nationen und Zeiten bezeichnender, als daß beide Männer (dicit Periclem et Demosthenem) das Bild des Anschauens brauchen, wo wir vielmehr von einem Versenken des ganzen Gemüts reden würden“. Hoc illud est, quod, ut exempla nonnulla afferam, Alcestis mortem appropinquare non dicit, sed Charontem vocantem sentit Eurip. Alc. 254:

ἔχων χέρ' ἐπὶ κοντῷ Χάρων μ' ἤδη καλεῖ · τί μέλλεις;
ἐπείγου · σὺ κατείργεις.

Orestes turpissima caede commaculatus non conscientia, sed ab Eumenidibus vexatur Aesch. Choeph. 1051:

τίνες σὲ δόξαι φίλτατ' ἀνθρώπων πατρὶ
στροβοῦσιν; ἴσχε, μὴ φοβοῦ, νικῶν πολύ.
Or. *οὐκ εἰσὶ δόξαι τῶνδε πημάτων ἐμοί ·*
σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.

Simili ratione factum est, ut apud Platonem (Crit. 50 C) non conscientia, sed leges ipsae ad Socratem verba faciant. E carcere fugiendumne sit secum deliberat ille; leges ipsae personatae quasi ratio superior contra dicunt. Accedit etiam quod Graecis, si quid erat quod animum vehementius movebat, speciem secreti et divini facile habebat. Ex hac enim opinione erat, quod Socrates quoque animi sui vocem divinam esse credidit. Divino enim spiritu inflantur, qui futura animo prospicere possunt. Poetae autem et ipsi a dis inflammari sibi videntur (Od. 17, 518; 22, 347), nec non pastores, qui in montium solitudine vitam agunt, carmina pangunt non animo incitati, sed edocti ab amicis suis et vicinis, scilicet a montium nymphis (Theocr. VII 92). Sed quid in his diutius moror, cum de soliloquiis disserere instituerim? Scilicet viam monstravi, qua eundum mihi esse sentiam. Itaque nunc ad rem aggredimur et primo Graecorum pervestigamus litteras, quibus absolutis ad Romanos pergat oratio.

I.

De Homeri soliloquiis.

Initium capiamus ab Homeri soliloquiis. „Die einsame Rede des homerischen Menschen ist Zwiegespräch mit dem *ϑυμός*: der Grieche empfindet ihn als ein Wesen, sein zweites Ich"; ita Leo l. l. p. 4[1]). Hac autem sententia acquiesci non posse Leo ipse sentit, cum doceat l. l. p. 95: „Was bei Homer in Ausbildung vorhanden ist, ist nur die Sonderung des erscheinenden und handelnden Menschen vom Denken und Empfinden in ihm. Daß dies sein zweites Ich bedeute, ist zuviel gesagt. Der homerische Mensch hat nur ein Ich, das er nicht mit Du anredet". Harum duarum sententiarum, quae non mediocriter inter se pugnant, non nisi altera tenenda est, quoniam ex Rohdii libro de anima scripto accepimus alteram, quam dicimus, naturam heroum nullam habendam esse praeter *ψυχήν*, quae tamen consiliorum hominis vigilantis et mentis compotis non particeps est[2]). Itaque valde miror virum doctissimum, Leonem dico, recusantem veriorem illam sententiam soliloquia Homeri colloquia esse cum *ϑυμῷ* habita re vera probavisse[3]).

---

1) cf. Hentze, Philol. LXIII p. 13: „Weiter ist für die homerische Auffassung charakteristisch, daß der Monolog als eine Art Dialog zwischen dem Redenden und seiner Seele aufgefaßt wird, indem diese der Person des Redenden wie eine zweite Person gegenüberstehend gedacht wird, oder wie v. d. Gabelentz Sprachwiss. p. 308 sagt, der Redende im Selbstgespräch sich wie im Spiegelbilde sich selbst gegenüberstellt."

2) Psyche I p. 7.

3) Leo l. l. p. 3: „Das eigentliche Selbstgespräch wird eingeführt als Rede ans Herz, wie die stille Überlegung im Herzen geschieht"; ib.

Agitur de vocabulo θυμός. Huius vocabuli vis prorsus singularis est „mit einem Worte anderer Sprachen nicht zu bezeichnen" (Rohde l. l. II p. 141) et talis, quae nec pro altera natura hominis nec pro parte quadam corporis haberi possit[1]). Immo pro ipsa persona eam vocem positam videmus, si quid agitur per mentem et animum. Non Sarpedon, sed eius θυμός a Tlepolemo dicitur κακός (*E* 643); non heroes edere et bibere cupiunt, sed θυμός eorum (*I* 177). Explicatius de hac vocis usurpatione disseruit A. Fulda, Untersuchungen über die Sprache der homerischen Gedichte I: Pleonastischer Gebrauch von θυμός, φρήν und ähnlicher Wörter (Duisburg a. 1865). Haec autem et alia eiusmodi exempla qui animo comprehenderit, non poterit dubitare, quin ea non nisi ad consuetudinem elati sermonis heroici referenda sint. Nam oratio, qua Homerus utitur, ut a posteriorum grandiloquentia discrepat, ita aliena est a communi sermone, quoniam vestigia in ea diuturnae exercitationis et consuetudinis poeticae animadvertuntur. At vero, quod Homeri temporibus inusitatum et poetarum tantum sermonis proprium videatur, id tamen ex proprietate prioris linguae status sine dubio derivatum erat et inde in poetarum carminibus servatur. Hac ratione utimur, si in eo sumus, ut vocis θυμός usum explanemus. Primo enim monendum est, quod scriptum invenitur de antiquioris linguae Indicae proprietate quadam in Delbrueckii quaest. synt. vol. V p. 208, 262 sq.: quod nostra lingua reflexivo, ut dicimus, pronomine exprimitur, in illa per vocem „ātman" („Seele") efficitur[2]). Cf. Brugmann-Delbrueck Grdr. d. vergl. Grammatik II 2 p. 401, ubi haec legimus: „An Stelle des substantivischen Reflexivums erscheinen in den obliquen Kasus Wörter die „Leib", „Seele" bedeuten. ai. tanū́ av. tanū ai. ātman mh. līp. Die Beziehung auf das Subjekt hat hier gesonderten Ausdruck, wenn mit einem solchen Substantivum ein possessives Reflexivum verbunden ist, wie ai. R. V. 7, 86, 2 utá sváyā tanvà sá̧ vadē tát „ich berede das mit meinem Selbst,

p. 95: „aber in diesem τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός ist die Vorstellung vom wirklichen Zwiegespräch am deutlichsten ausgeprägt".

1) v. Rohde, Psyche I p. 45.

2) cf. Brugmann Gr. Gr.[4] p. 481 adn.

mit mir“. Iam ex nostro carmine heroico afferre iuvat verba, quae facit Hagen XX 1206, 4: „ez geraetet nimmer mîn lîp“; quae vertuntur „dazu kann ich nimmermehr raten“.

Eidem autem loquendi consuetudini originem debet ipsa formula *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν*. In his, quantum video, frustra haeserunt, qui de soliloquiis Homericis scripserunt, quamquam iam dudum explicata sunt ab Ameisio. Observavit enim hic vir doctissimus in nonnullis Homeri elocutionibus notionem vocis *θυμός* eodem sensu accipiendam esse, quo in vetustioribus illis linguis vocabula „tanū“ „ātman-“, in nostra „lîp“ sim. usurpata modo cognovimus. Operae pretium videtur referre sententiam verbis ipsius, qui dicit (ad *Z* 524): „Dem homerischen Zeitalter ist es ein fremdartiger Gedanke zu sagen, daß jemand ‚mit sich selbst spricht‘. Dies wird homerisch nur mit *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* und ähnlichen Wendungen bezeichnet. Statt unseres Ausdrucks ‚aber warum überlege ich dies bei mir‘ sagt der homerische Mensch *ἀλλὰ τί ἤ μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός*. Ebenso *Νεστορίδης δ'ἄρ' ἑῷ συμφράσσατο θυμῷ* (*ο* 202). Wo jemand nach moderner Bezeichnung ‚sich selbst abhärmt‘, da wurde er in jener Zeit *θυμόν ἔδων* genannt. .... So ließe sich aus diesem Gebiet ein ganzes Register zusammenstellen, und es wird auch von dieser Seite ersichtlich, warum die homerische Zeit, die ohne Reflexion ihre Dichtungen schuf, den Gebrauch des eigentlichen Reflexivpronomens noch nicht gestalten konnte. Von diesem Gesichtspunkt aus gewinnt nun das *κῆρ ἐν θυμῷ* wie auch *ἐν κραδίῃ στένει ἦτορ* *Υ* 169 und ähnliches seine richtige Beziehung. In *Τ* 272 ist derselbe Begriff durch *διαμπερές* bezeichnet. Und daraus ist dann für *ἐν θυμῷ* der Sinn ‚innerlich‘ oder ‚im Stillen‘ hervorgegangen“.

Quibus cognitis nunc quae de soliloquiis Homericis statuenda sint videbimus. Primo enim plane apparet errare eos, qui soliloquia, quae verbis *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* vel *προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν* inducuntur, colloquia cum animo habita esse iudicant. Revocamus hoc loco in comparationem verba, quae modo commemoravimus: „ez geraetet nimmer mîn lîp“. Ex his enim deliberationem esse colloquium cum corpore revera initum vix quisquam colligere potuerit. Quod si concedis, eodem

modo recusandum est, quod creditur vulgo, Homeri verba *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* et *προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν* verti posse: „er sprach zu seinem Herzen". Nam hoc quidem, si verba subtilius interpretamur, non minus falsum est, quam si quis Homeri vocabulum *νόος* reddat omnino notione „Verstand", „Vernunft". Etenim illa verba cum facit Homerus non cor vel animum significat, sed personam ipsam. Itaque, quod ad sententiam ipsam pertinet, nullum esse discrimen iudicaverim inter Homeri formulam *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* et cottidiani sermonis verba *εἶπε πρὸς ἑαυτόν*. Porro id quoque suspicari licet, quod mihi quidem ex Ameisii sententia necessario effici videtur, personas, quas hac formula secum loquentes inducit poeta, non nisi t a c i t e animo deliberantes intellegi debere.

Iam vero ad soliloquia ipsa animum attendamus, quo magis sententia nostra comprobetur. Nam primo id quidem certissimum argumentum videtur, quod poeta i n n u l l o e x t a n t o s o l i l o q u i o r u m n u m e r o h e r o e s *θυμόν* i p s u m a d l o q u e n t e s facit; permirum hoc videretur, si soliloquia essent colloquia habita cum *θυμῷ*. Sed omnes fere sermones secum habiti initium sumunt ab adlocutionibus *ὤ μοι ἐγώ* (*Λ* 404, *P* 91, *Σ* 6, *Φ* 552, *X* 99, *ε* 356, 465, *ε* 408 *ὤ μοι*) vel *ὤ μοι ἐγὼ δειλός* (*ε* 299) aut exclamatione *ὢ ποποι* (*Y* 344, *Φ* 53), sensumque peridoneum praebent verba his soliloquiis praemissa *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* = *προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν* = *εἶπε πρὸς ἑαυτόν*.

Sequitur ut dicam de forma orationis atque genere dicendi, quo Homeri personae in omnibus soliloquiis utuntur. Supra enim cognovimus duo soliloquii genera distinguenda esse, alterum primi ordinis, alterum secundi, quae in communi deliberantium sermone, cum doceant refellantque se ipsos, aequaliter locum obtinent. Quae cum ita sint, oritur quaestio, utrum eandem consuetudinem observare possimus in Homeri soliloquiis necne. Haec enim, ut iam diximus, maxima ex parte designantur verbis *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν*, quae copiosius vel ornatius dicta esse pro *εἶπε πρὸς ἑαυτόν* statuimus. Exspectabis igitur, ubi haec verba praecedunt, secundum, quem vocamus, soliloquii ordinem. At contra ubique primus ordo, neque ullum secundi generis vestigium indagare poteris. Quam linguae proprietatem

Grimmius defendit dicens convenire primam verbi personam „dem gehaltenen Ebenmaß gehobener Dichtung", alteram autem „freien Ausbrüchen der Volkssprache" (Kl. Schr. III p. 299)[1]. Nimirum apud nostrates rem sic se habere concedo. Nam cum nostra cogitandi ratione altera dicendi forma ita conexa est, ut Grimmius linguae vernaculae quasi legem proponere potuerit „daß nach der Vorstellung des Denkens die zweite Person eintrete" (l. l. p. 287). Quod idem non minus convenire sermoni Graecorum si exemplis demonstrari posset, non esset cur contra diceremus. Verumtamen proprietas animi et linguae nostrae aliena videtur fuisse a Graecis, scilicet iis, qui prioribus vixerunt temporibus, cum nullum reperias documentum, quo eundem eis loquendi usum fuisse illustaveris. Immo videre licet contraria. Nam usque ad inferiora saecula homines, qui secum ipsi cogitare autumant dicentes *πρὸς ἑαυτούς*, prima ubique, non altera persona verbi utuntur. Huius rei quae repperi exempla ordine collecta subscribam:

Eurip. Med. 872:

ἐγὼ δ' ἐμαυτῇ διὰ λόγων ἀφικόμην
κἀλοιδόρησα· σχέτλια, τί μαίνομαι
καὶ δυσμεναίνω τοῖσι βουλεύουσιν εὖ κ. τ. ἑ.

Aristoph. Pac. 67:

— — — — —
ἔφασκε γὰρ πρὸς αὑτὸν ἐνθαδί·
πῶς ἄν ποτ' ἀφικόμην ἂν εὐθὺ τοῦ Διός;

Xenoph. Anab. III 1, 13:

εὐθὺς ἐπειδὴ ἀνεγέρθη πρῶτον μὲν ἔννοια αὐτῷ ἐμπίπτει· „τί κατάκειμαι; ἡ δὲ νὺξ προβαίνει. ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ εἰκὸς τοὺς πολεμίους ἥξειν. εἰ δὲ γενησόμεθα ἐπὶ βασιλεῖ, τί ἐμποδὼν μὴ οὐχὶ πάντα μὲν τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότατα παθόντας [ὑβριζομένους] ἀποθανεῖν; ὅπως δ' ἀμυνούμεθα, οὐδεὶς παρασκευάζεται οὐδὲ ἐπιμελεῖται, ἀλλὰ κατακείμεθα, ὥσπερ ἐξὸν ἡσυχίαν ἄγειν. ἐγὼ οὖν τὸν ἐκ ποίας πόλεως στρατηγὸν προσδοκῶ ταῦτα πράξειν; ποίαν δ' ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμένω; οὐ γὰρ

---

1) cf. Leo l. l. p. 95: Aber der epische Stil hat die Grenze nicht überschritten, die Selbstanrede nicht ausgeprägt.

ἔγωγ' ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι, ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις".

Men. Epitr. 35:

ἐν νυκτὶ βουλὴν δ' ὅπερ ἅπασι γίνεται
διδοὺς ἐμαυτῷ διελογιζόμην· „ἐμοί
τί παιδοτροφίας καὶ κακῶν; πόθεν δ' ἐγώ
τοσαῦτ' ἀναλώσω; τί φροντίδων ἐμοί;[1])

Men. Sam. 29:

ὡς δ' ἐπαύσατο
κλᾶον πρὸς αὑτήν φησιν· „ὦ τάλαιν' ἐγώ,
πρώην τοιοῦτον ὄντα Μοσχίων' ἐγώ
αὐτὸν ἐτιθηνούμην ἀγαπῶσα.

Men. Peric. 296:

ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ
κατακείμενος πρὸς ἐμαυτὸν ἔλεγον· „αὐτίκα
πρόσεισιν ἡ μήτηρ ἀπαγγελοῦσά μοι
παρὰ τῆς ἐρωμένης, ἐφ' οἷς ἂν φησί μοι
εἰς ταὐτὸν ἐλθεῖν."

Ergo consensu exemplorum, quae ex Euripidis tragoedia, ex comicorum fabulis, ex soluta oratione sumpta sunt, omnium omnino Graecorum cogitandi et secum loquendi rationem eandem fuisse concludere possumus, praesertim cum ne unum quidem exemplum reperiatur, quod illis repugnet exceptis eis, quae Grimmius[2]) et Leo[3]) ex posterioris temporis litteris et Romanorum

---

1) Hunc locum in vernaculum sermonem vertit Robert, Szenen aus Men. Kom. p. 13:

Doch in der Nacht, wie's jedem geht,
kam mir die Überlegung: „Was hast du eigentlich
mit Kinderpflegen und solchem Kram zu tun".

Nec aliter Eskuche, Griechische Einakter p. 152:

Doch wie das so im Leben geht, bei Nacht
hab ich die Sache mir nochmal bedacht:
„Was soll ein Kerl wie du mit Kinderpflegen
sein bischen Geld vertun und sich absorgen?"

2) l. l. p. 287.

3) l. l. p. 111.

scriptis afferunt. Verumtamen ut comparatione aliquid eruatur, non ita multum tribuendum est eis, quae postea acciderunt, immo aetates discernamus oportet idque spectandum inprimis et ad comparationem vocandum est, quod tempore praegressum sit. Ac nescio an valeat aliquid ad vetustioris linguae consuetudinem illustrandam, si populorum pueritiam cum prima aetate puerorum ipsorum comparamus, inter quas quaedam sunt sane similitudines. Vix enim quemquam fugerit in puerorum sermonibus, quos ipsi secum habere solent, secundam verbi personam non inveniri, quamquam plerumque pronominis loco nomen ipsum et tertiam verbi personam adhibent.

Sed iam ad Homerum revertamur. Nam satis est in nostra causa monere id secum loquendi genus, quod in carminibus Homericis usurpatum videmus, a communi Graecae linguae consuetudine non discedere. Quapropter rem ita esse puto, ut primam verbi personam non epicorum, sed omnino prioris Graecae linguae propriam esse pro certo confirmemus. Plane autem haec soliloquiorum ratio ad eum modum inclinat, quem lingua vernacula potius designamus „bei sich sprechen", quam revera „zu sich sprechen".

Hanc vero sententiam Homerus ipse fulcire videtur. Qui scilicet intimis heroum sermonibus non solum praefigit verba *προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν* vel *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν*, sed etiam hanc praebet formam (*ζ* 118):

> *ἑζόμενος δ᾽ ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν·*
> *„ὤμοι ἐγώ, τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἱκάνω κ. τ. ἑ.*

pergitque poeta (127): *ὣς εἰπὼν θάμνων ὑπεδύσατο δῖος Ὀδυσσεύς*. Accedunt soliloquia deorum *P* 201, 443, *ε* 376. Hic enim Iuppiter et Neptunus, quamquam poeta dicit *προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν*, non secum vel ad se verba faciunt, sed alios adloquuntur, velut *P* 198 sqq.:

> *τὸν δ᾽ ὡς οὖν ἀπάνευθεν ἴδεν νεφεληγερέτα Ζεὺς*
> *τεύχεσι Πηλείδαο κορυσσόμενον θείοιο*
> *κινήσας ῥα κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν·*
> *„ἆ δείλ᾽, οὐδέ τί τοι θάνατος καταθύμιός ἐστιν,*
> *ὃς δή τοι σχεδὸν εἶσι· σὺ δ᾽ ἄμβροτα τεύχεα δύνεις*
> *ἀνδρὸς ἀριστῆος, τόν τε τρομέουσι καὶ ἄλλοι.*

Nonne haec vehementissime inter se pugnant, si soliloquia sunt colloquia habita cum *θυμῷ?* Quoniam autem veram naturam et sensum elocutionis *προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν* cognovimus, Leonis recusamus interpretationem, qui dicit (l. l. p. 2 adn. 4): „*ε* 376 wie die beiden Göttermonologe in *P* — — — — zeigen die Erstarrung der Form: Poseidon und Zeus sprechen zu ihrem Herzen, reden aber die Menschen an, die ihren Affekt erregen". Profecto eo confugere, ut tale cogitandi senium statuamus, pro ingenio et auctoritate summi poetae fas esse non videtur.

Ac nescio an eadem ratione solvatur aliud sermonis Homerici discrimen, quod Leo declaravit verbis (l. l. p. 95): „Nicht minder conventionell wird das *εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* den Reden vorgesetzt, in deren Verlauf die Überlegung als Rede des *θυμός* an den Helden bezeichnet wird; aber in diesem *τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός* ist die Vorstellung vom wirklichen Zwiegespräch am deutlichsten ausgeprägt". Sed ex hac re ipsa iterum apparet, quam perversa sit eorum sententia, qui soliloquia colloquia habita cum animo esse volunt. Nam difficultatem et sensum soliloquiorum, de quibus nunc quaestio est, facillime expedire possumus si ad eandem explicationem revertimur, qua supra naturam et usum vocis *θυμός* cognovimus. Quae sicut in formulis inductoriis pronominis locum obtinet, ita eodem sensu usurpatur in elocutione *τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός*, quod dictum esse pro *τίη (ἐγὼ) ταῦτα διελεξάμην* Ameisius iam observavit[1]). Denique ad verbi *διαλέγεσθαι* notionem restat ut commemorem iudicium Hirzelii, qui demonstravit primariam verbi vim non esse colloquendi, sed distincte et clare dicendi[2]).

His argumentis cum demonstratum sit alteram verbi personam in soliloquiis epici carminis non modo non admissam, sed etiam ab eis alienam esse, iam nullum vestigium comparere concedendum est, quod ad alteram, quam vocamus, hominis

---

1) ad *Z* 524; vid. huius diss. p. 11.

2) Hirzel, Dialog 3 adn. 1: „Das Medium bedeutet daher zunächst klar und deutlich reden, sodann aber und vorzüglich etwas in der Rede erörtern".

naturam pertineat. Nec *θυμός* nec *καρδία* nec, si quid aliud huiusmodi inducitur, in illis soliloquiis ad hominem ipsum loquens fingitur.

Attamen exstant, quae huius sententiae meae fidem concutere videantur. Documento enim erant Grimmio verba *διάνδιχα* vel *ἔνθα καὶ ἔνθα μερμηρίζειν*, quibus manifestari videretur hominis naturam tamquam in duas partes discerni ita ut animus cum corde colloquium iniret[1]). Quam sententiam ut diligentius examinemus, primo monendum est unum tantum exemplum in libris Homericis exstare, quod in hanc rem illustrandam afferri possit. Legitur enim *υ* 20:

τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης
ἤματι τῷ ὅτε μοι μένος ἄσχετος ἤσθιε Κύκλωψ
ἰφθίμους ἑτάρους· σὺ δ' ἐτόλμας, ὄφρα σε μῆτις
ἐξάγαγ' ἐξ ἄντροιο ὀϊόμενον θανέεσθαι.

De huius autem clarissimi soliloquii vel potius colloquii ratione, quid iudicandum sit, Leo quidem evicit, qui explicat: „Es ist hier klar erstens, daß das körperliche Herz in der Brust sich ungestüm bemerkbar macht[2]); dies redet er an, also nicht sich selber oder ein zweites Ich; was er beruhigt, ist der heftige Herzschlag“ (l. l. p. 94); „die *κραδίη* des Odysseus gehorcht ihm, aber sie dürfte ihm nicht antworten“ (ib. p. 95). Quae opinor sufficiunt, ut patefiat Ulixis verba pro exclamatione accipienda esse, quae ex commoto herois animo profluxit. Quare hoc soliloquium removendum et procul habendum est ab eorum ratione, quibus heroes res secum deliberant. Ergo cum verbis *ἔνθα καὶ ἔνθα μερμηρίζειν* nullo modo coniungi potest. Ipse autem huius formulae sensus, qui nunc in quaestionem venit, apertissime intellegetur, ubi similia congesseris. In comparationem vocamus *Α* 188: *ἐν δέ οἱ ἦτορ στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν, ἢ ὅ γε φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος . . . ἀναστήσειεν, ... ἦε χόλον παύσειεν.* Nec minus huc pertinet *Π* 435: *δίχθα δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι, ἤ μιν ζωὸν ἐόντα . . . .*,

---

1) l. l. p. 283.

2) cf. Athenaei XV, 687 sq.

ἢ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω. Eandem vero sententiam Euripides exprimit verbis: *ἔτι γὰρ ἀμφίλογα δίδυμα μέμονε φρήν* (Iph. T. 655) h. e. animus cogitando volvit *δίδυμα*, quae sibi sunt opposita. Quod, quantum ex his conicere licet, non ad humanae naturae partes, sed ad rerum discrepantiam et varietatem spectat. In hominis animo ipso nequaquam alter ego cum altero mutuo colloquitur, sed deliberatio non nisi per primam personam fit, id quod soliloquiis ipsis optime comprobatur. Exempli causa inspicias quaeso Ulixis soliloquium *Λ* 404 sqq., quod ex hoc genere esse contendo:

ὤμοι ἐγώ, τί πάθω, μέγα μὲν κακόν, αἴ κε φέβωμαι
πληθὺν ταρβήσας, τὸ δὲ ῥίγιον, αἴ κεν ἁλώω.
μοῦνος · τοὺς δ' ἄλλους Δαναοὺς ἐφόβησε Κρονίων.
ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός;
οἶδα γάρ, ὅττι κακοὶ μὲν ἀποίχονται πολέμοιο,
ὃς δέ κ' ἀριστεύῃσι μάχῃ ἔνι, τὸν δὲ μάλα χρεὼ
ἑστάμεναι κρατερῶς, ἤ τ' ἔβλητ' ἤ τ' ἔβαλ' ἄλλον.

Sim. *P* 90 et al. Nec vereor, ut hac cum sententia concilianda sint verba *ἧος ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν*, quae documento afferri possint deliberationi per utramque verbi personam factae. Nam vocabula *φρήν* et *θυμός*, quamquam non unum nec idem significant, tamen in libris Homericis sine ullo notionis discrimine promiscue fere usurpantur. Accedit quod comparata elocutione *οἶδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν* (*Δ* 163 *Ζ* 447) efficitur, ut formulam studio illi deberi dicamus quo copiosiorem sermonem reddebat poeta.

Quibus perpensis adfirmare possumus, quod supra demonstravimus, alteram verbi personam in soliloquiis ipsis nusquam indagari posse. „Der homerische Mensch hat nur ein Ich, das er nicht mit Du anredet" (Leo l. l. p. 95).

Sed non omnia adhuc absolvimus, quae ad heroum deliberandi rationem spectant. Nam ei, qui ad Homeri soliloquia explicanda accedit, id quidem praetermittendum non esse puto, quod de intima quadam voce, quae animo percipitur, ex carminibus epicis colligi potest. Nam etiam huius rei habemus testimonia, quod hominibus, qui fato aliquo obruuntur, vis

quaedam in animo exsistit eosque cogit adversus suas ipsorum intentiones et naturam ipsam reicere mentis iudicium aliique obsequi. Quaeris quae sint testimonia carminis heroici? Ac primo quidem loco habendi sunt versus *A* 188sqq., de quibus quae a viris doctis observata sunt, ipsorum verbis referam. Exposuit enim Vischer (Aesthet. III 1268): „Es kommt über den Helden wie eine fremde Macht, den Achilleus warnt eine innere Stimme seinen Zorn gegen Agamemnon mitten im Ausbruch zurückzuhalten: es ist Athene, die ihn an der blonden Locke faßt". Carrière (Das Wesen und die Formen der Poesie p. 150): „Die weise Mäßigung der eigenen Brust erscheint zugleich als Pallas Athene, welche den Peleussohn mahnend am blonden Haupthaar faßt". Hentze (Philol. LXIII p. 24): Oft wird, wo es sich um die Darlegung der Motive zu einem Entschluß handelt, das Selbstgespräch in eine Unterredung mit einer Gottheit umgewandelt, oder die innere Stimme durch die Stimme der Gottheit ersetzt". Summi denique momenti Mutschmanni sententia nobis est, cuius haec sunt verba (Wochenschr. f. klass. Phil. XXVIII 164): „Der Traum stammt von einer in der übersinnlichen Sphäre waltenden Macht, von einem Gott, einem *δαίμων* oder einer verstorbenen Person. So erklärt sich das naive Bewußtsein die Traumphänomene. Aber auch im wachen Zustand erfolgen derartige Inspirationen. Ganz abgesehen von dem ekstatischen Rausch der Gottbegeisterung frommer Seher und Seherinnen erfährt jeder persönlich in sich das blitzartige Auftreten von Gefühlen, Gedanken und Entschlüssen, deren Ursprung ihm verborgen bleibt. Das Kausalitätsbedürfnis substituiert auch hier als Ursache eine übersinnliche Macht. In dieser Weise pflegen die homerischen Götter mit den Menschen zu verkehren"[1]). Quae cum ita sint, virorum doctorum sententiis, quas exscripsimus, planum factum esse existimo poetam huiusmodi animi commotionis causam referre ad deum aliquem

1) Adnotavit Mutschmann: Krische, Forsch. I 281: „Was nicht in unserer Macht steht, was unsere Natur nicht tragen kann und was nicht von Natur in unserem Triebe oder unserer Überlegung gegründet ist, ist ein unfreiwilliges oder nach antiker Vorstellung dämonisches. Dazu gehört die Begeisterung und Weissagung, der gewaltige Drang der Begierde, die starke Macht der Gefühle".

auctorem. Nec minus intellegi posse censeo, haec res quomodo ad soliloquii naturam ipsam attineat; nam Achilles Minervam loquentem sentit, dum ipse rem animo volvit (*ἧος ὁ ταῦθ᾽ ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν*, v. 193), *ἢ ὅ γε φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ τοὺς μὲν ἀναστήσειεν, ὁ δ᾽ Ἀτρεΐδην ἐναρίζοι, ἠὲ χόλον παύσειεν ἐρητύσειέ τε θυμόν* (190 sqq.). Ceterum non inutile erit alio quodam exemplo demonstrare eandem vim non modo prohibere, sed etiam confirmare atque impellere hominis animum. Priamus enim (*Ω* 160 sqq.) magna adfectione et perturbatione animi percussus plane nescit quid faciat. Metus impendentis iniuriae et contumeliae, quam accepturus esset, si in Achillis manus se commisisset filiumque interfectum ad exequias instituendas peteret, senis animum pressit; vetat ratio accumulare calamitates, quod amentis esse Hecuba ipsa dicit (v. 261 sqq.). Tamen neglectis omnibus, quae evenire potuerint, vim quandam in animo valentem sentit, quae iubet oblivisci malorum huius itineris et monet (v. 171): *θάρσει Δαρδανίδη Πρίαμε, φρεσί, μηδέ τι τάρβει κ. τ. έ.* Statim persuasum ei est *δαιμονίην ἀγγελίην* haec verba ad se locutam esse; cuius vocem audit videtque adeo ipsam faciem.

Talia sunt Homeri exempla et haec sola, in quibus hominis natura in duas quasi partes revera dirimi videtur. Jam vero maxime notabile est, quod non tantum mente percipiunt homines Homerici imperatum velut: „fac“, sed veram huius imperativi naturam sentiunt ita, ut imperantem ipsum audiant: „ego volo te facere“. Hic „ego“, qui voluntatem suam ab homine alienam hominis consilio anteponit, ex opinione antiquorum, qui in animi cognitione aliquantum adhuc provecti sunt, nemo est, nisi divinus quidam (cf. supra p. 7). Accedit huc aliud, quod peculiare habet Graecorum religio. Dei enim non modo auctores sunt cogitationum et consiliorum hominum, quod probatur verbis *γ* 26:

ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις
ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται,

sed etiam fieri posse opinabantur Graeci, ut homines dei alicuius vocem animo perciperent. Iam ipsius Platonis testimonium in promptu est, qui docet deorum cultum non modo esse in-

vocationes caelestium, quos si rite invocabantur, auditores sperabant, sed veram *κοινωνίαν πρὸς ἀλλήλους* (Symp. 188c), h. e. deos quasi personas videbant audiebantque animo[1]). Illustratur sententia etiam verbis Euripidis (Iph. I 1447): *κλύεις γὰρ αὐδὴν καίπερ οὐ παρὼν θεᾶς.* Quibus adiungas Ulixis verba, quae facit Soph. Aiac. v. 14sqq.: *ὦ φθέγμ' Ἀθάνας, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν, ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως φώνημ' ἀκούω.* Denique aliud idque luculentissimum testimonium afferam, quod legitur Eurip. Hipp. 85sqq., ubi Hippolytus Dianam advocat verbis: *σοὶ καὶ ξύνειμι καὶ λόγους σ' ἀμείβομαι κλύων μὲν αὐδήν, ὄμμα δ' οὐχ ὁρῶν τὸ σόν*[2]). Cuiusmodi sententiae vix quidem doctrinae philosophorum originem debent nec vero sectarum mysticarum propriae sunt — quamquam ab his talia excolebantur —, sed Graecorum animis inde ab antiquissimis temporibus penitus inhaesisse videntur. Prorsus popularem fuisse hanc de deorum cum mortalibus commercio opinionem gratissimus testis est Aristophanes comicus, ad quem me Birtius mittit; nam in Nubibus v. 1476sqq. Strepsiades cum ipso Mercurio, qui in scaena non adest, se colloquium habere fingit, quod ex precibus quidem incipit: *ὦ φίλ' Ἑρμῆ, μηδαμῶς θύμαινέ μοι,* deinde consilium ex deo petitur, v. 1481: *καί μοι γενοῦ ξύμβουλος,* subito autem iam in v. 1484 deum homini roganti respondisse fingitur, verbis: *ὀρθῶς παραινεῖς οὐκ ἐῶν δικορραφεῖν, ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐμπιμπράναι τὴν οἰκίαν τῶν ἀδολεσχῶν.* Agitur nempe ibi de Socratis phrontisterio comburendo; primum quidem nescit senex ille quid rei agat, Mercurium cogitando adit; deus autem cum homine intimum commercium habet et sine mora Strepsiadis menti consilium Socratis puniendi iniecit.

Quae cum ita sint, cave putes in libris Homericis, quam rei enarrationem observavimus poetico tantum apparatui inservisse. Sic enim velim existimes poetam pro aetatis suae ratione animi motionem descripsisse, quae intima voce subito exorta effecta est. Achilles igitur revera *ὁρμηθεὶς θεοῦ* sibi visus est

---

1) cf. Schmidt, Ethik d. Gr. II, 28.

2) ib. p. 29: „Ein gleichsam körperliches Schauen und Hören der Götter war also, wie sich hieran zeigt, das eigentliche Ideal der frommsten Athener“.

nec minus Priamus. Quorum uterque numinis voluntati, quam audit, obsequendum arbitratur, quod idem fecisse Strepsiadem vidimus, nec aliter Socrates vitam suam ad divinam illam vocem dirigebat. Et huius divinae monitionis affinitatem antiquis ipsis non ignotam fuisse docent verba quae de daemonio Socratis Maximus Tyrius facit, diss. XIV, 5: *Τί δὲ οἱ νῦν ἀποροῦντες περὶ τοῦ δαιμονίου τοῦ Σωκράτους Ὁμήρῳ οὐ συνεγένοντο διηγουμένῳ ταὐτὰ ἐκείνῳ, ἃ διηγεῖτο, περὶ μὲν τοῦ Ἀχιλλέως, ὅτι ἐν ἐκκλησίᾳ στρατιωτικῇ δημηγορῶν, διενεχθεὶς πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα, σπώμενος τὸ ξίφος, ὡς παίσων, κωλύεται ὑπὸ δαιμονίου. Ἀθηνᾶν καλεῖ τὸ δαιμόνιον.* cf. Plut. de gen. 10, 580 C.

II.

De poetis lyricis Graecis.

Primam aetatem artis poeticae deditam splendidae enarrationi rerum gestarum, qua auctoris ipsius persona plane removetur atque absconditur, altera aetas excipit eo consilio, ut artem et diligentiam poneret in iis, quae primis temporibus recondita iacebant et intacta. Iam enim lyrici poetae, de quibus nunc dicendum est, ab heroibus declinantes ipsam naturam hominis communis patefaciebant neque indignum esse ducebant res ex cottidiana vita petitas litteris ac versibus mandare.

Ratio autem huius generis poetarum artem quibusdam vinculis constrinxit, quo factum est, ut poetae neque cum multitudine sententias et sensus communicarent nec vero verba ad se ipsa dirigerent. Sed in his etiam sermonibus cum familiaribus habitis soliloquia interdum apparent. Sicut eum, qui in scaena agit, chori praesentia fugere potuit, non secus memoria amicorum, qui poetae ob oculos versabantur, in summa animi adfectione nonnumquam recedit. Poeta igitur, qui ad amicos aut inimicos verba facere solet, alibi ad amicum vel inimicum in animo suo habitantem loquitur; Arch. frg. 66:

θυμέ, θυμ᾽ ἀμηχάνοισι κήδεσι κυκώμενε
ἄναδυ, δυσμενῶν δ᾽ ἀλέξευ προςβαλὼν ἐναντίον
στέρνον, κ. τ. ἑ.

„Es ist der ganze Mensch, den er als *θυμός* anredet, dessen Willen er aufruft, dessen Leidenschaften er beschwichtigt“ (Leo l. l. p. 96). In his nulla opinionis secessio facta est poetae lyrici ab heroico; nam is, qui ad se verba facit, *πρὸς ὃν μεγα-*

λήτορα θυμόν loquitur. Attamen mox alia mutata sunt, alia nova accesserunt. Apud Pindarum enim occurrunt adlocutiones ad *φίλον ἦτορ* (Ol. I 4) ad *ψυχήν* (Pith. III 61)[1]) ad *στόμα* (Ol. IX 35) derectae; quibus ut partibus naturae humanae poeta suum „ego" opponit. Iam in harum notionum ordinem *θυμός* quoque receptum videtur; quod colligitur ex numero illo plurali *βάλλομεν* qui invenitur Ol. II 98:

> *ἔπεχε νῦν σκοπῷ*
> *τόξον, ἄγε θυμέ · τίνα βάλλομεν κ. τ. ἑ.*

Compares Theogn. v. 877:

> *ἥβα μοι, φίλε θυμέ: τάχ' ἄν τινες ἄλλοι ἔσονται*
> *ἄνδρες ἐγὼ δὲ θανὼν γαῖα μέλαιν' ἔσομαι.*

Utcumque haec se habent, hoc quidem non ambiguum esse in carminibus lyricis intellegitur, quod poeta secum verba faciens animum adloquitur, cum se ipsum dicit.

Iam alterum illud adiungendum est: poeta ipso nomine appellatus aliam personam eamque divinam facit adloquentem, ut clarissimo Sapphonis carmine (frg. 1) demonstratur. Nam Sapphoni quoque idem hoc *δαιμόνιον* exstitit, quod heroibus Homericis[2]); Venus est, quae ibi poetriae ipsa adstat monitrix, sicut Minerva Achilli, sicut Mercurius Strepsiadi illi Aristophanico (supra p. 20). Aliter res se habet in Horatii carmine III 12 *Miserarum est neque amori* eqs., quod ad Alcaei exemplum spectare dicitur; ibi enim *Neobule* vocativus interponitur nec vero deus quidam loqui videtur, sed puella ipsa verba ad se dirigere. Sed enim ita Horatius, serioris aetatis poeta; Alcaeus vero non per alteram, sed per primam personam suo in carmine puellam querentem induxerat: *ἔμε δείλαν κ. τ. λ.* (cf. Birt, Philol. 63 p. 447).

Hoc loco ut addam aliud, quod ad lyricorum secum loquendi rationem illustrandam multum facit, de Solonis elegis commemoro, qui *πρὸς ἑαυτόν* inscribuntur. Huius enim soliloquii ratio ea est, ut non secum ipso colloquatur poeta, sed ad Camenas verba dirigat.

---

1) cf. Rohde, Psyche II 207, 2.

2) v. Gercke-Norden, Einl. I 432.

Videntur tamen ex ipsis lyricorum antiquiorum carminibus duo revera existere adversarii, qui explicatam modo sententiam nostram irritam faciant. Sunt Pindari versus Nem. IV 69 sq.:

ἀπότρεπε
αὖτις Εὐρώπαν ποτὶ χέρ-
σον ἔντεα ναός

et Nem. X 21:

ἀλλ᾽ ὅμως εὔχορδον ἔγειρε λύραν
καὶ παλαισμάτων λάβε φροντίδ᾽.

Quorum sententia ut recte intellegatur, monendum primo est versus in choricis carminibus inveniri. Revera igitur non poeta, sed chorus se adloquitur. Convertamus deinde animos ad ipsum carminis locum, quo adlocutiones inveniuntur: scilicet medio quidem in carmine, sed initio novae ibi partis exordientis sunt positae, et illa chorus a rebus heroum aetate gestis revocatur, ut redeat ad virtutes laudandas victoris ipsius, hac post fabulam de Herculis laboribus et coniugio Iuventae enarratam convertitur ad laudationem victoris Theaei. Accedit gravissimum quod nominis vocativus ipse in utraque adlocutione desideratur. In quo magis nitendum est, quia hoc unum quidem, dico nominis vel cognominis appellationem, quam maxime desideratur, ubi quis se ipsum adloquitur. Atque aperte docet sensus has, quas ex Pindaro attuli, adlocutiones valde distare ab illis, quae antea in cognitionem nostram pervenerunt. Quae animi adfectione excitatae ex poetae ore fluxerunt; Pindari autem versuum argumenta qui spectaverit, verba ex animo sensuque intimo poetae lyrici orta non esse iudicabit[1]). Nam inserviunt monitioni chori, ut ad officium accedat; qua absoluta monitione in iis, quae iam sequuntur, illico ad primam verbi personam carmen revertitur.

Iam vero alio exemplo ex fabula tragica desumpto huius adlocutionis rationem illustrem. Eodem enim modo res se habet in Aeschyli quodam cantico, quo Danai filiae se ipsas adloquuntur, Suppl. 808 sqq.[2]):

---

1) Quod Leo quidem l. l. p. 97 non satis distinxisse videtur.

2) schol.: ἑαυταῖς παρακελεύονται.

ἴυζε δ' ὀμφὰν οὐρανίαν
μέλη θεοῖσι λιτανά ·
τέλεα δὲ πῶς πελόμενά μοι; κ. τ. ἑ.

Hi quoque versus in medio quidem cantico, sed initio novae argumenti partis leguntur. Porro vix quemquam fugerit ipsius adlocutionis eandem formam esse atque in exemplis illis Pindaricis. Hoc autem Aeschyli cantico planius docemur eiusmodi adlocutiones ad secum loquendi rationem inquirendam et demonstrandam nullius fere momenti esse. Nam vix cogitari potest in chori carmine personas ad se ipsas verba facere, immo rem ita se habere censeo, ut altera moneat et incitet alteram.

Quibus rebus satis cognitis ad ea soliloquia transire possumus, quae in Euripidis quibusdam canticis inveniuntur. Ac primo de Electrae monodia El. v. 112 sqq. disserendum est, quam secundum editionem Oxoniensem exhibeam hoc modo:

σύντειν' — ὥρα — ποδὸς ὁρμάν · ὤ, στρ.
ἔμβα ἔμβα κατακλαίουσα.
ἰώ μοί μοι
ἐγενόμαν 'Αγαμέμνονος
καί μ' ἔτεκε Κλυταιμήστρα
στυγνὰ Τυνδάρεω κόρα.
κικλήσκουσι δέ μ' ἀθλίαν
'Ηλέκτραν πολιῆται.
φεῦ φεῦ σχετλίων πόνων
καὶ στυγερᾶς ζόας.
ὦ πάτερ σὺ δ' ἐν 'Αίδα
κεῖσαι σᾶς ἀλόχου σφαγαῖς
Αἰγίσθου τ' 'Αγάμεμνον.
ἴθι τὸν αὐτὸν ἔγειρε γόον,
ἄναγε πολύδακρυν ἁδονάν.

σύντειν' — ὥρα ποδὸς ὁρμάν ὤ, ἀντ.
ἔμβα ἔμβα κατακλαίουσα.
ἰώ μοί μοι
τίνα πόλιν, τίνα δ' οἶκον, ὦ
τλᾶμον σύγγον', ἀλατεύεις
οἰκτρὰν ἐν θαλάμοις λιπὼν

πατρῴοις ἐπὶ συμφοραῖς
ἀλγίσταισιν ἀδελφάν;
ἔλθοις τῶνδε πόνων ἐμοὶ
τᾷ μελέᾳ λυτήρ,
ὦ Ζεῦ Ζεῦ πατρί θ᾽ αἱμάτων
ἐχθίστων ἐπίκουρος, Ἄρ-
γει κέλσας ποδ᾽ ἀλάταν.

θὲς τόδε τεῦχος ἐμᾶς ἀπὸ κρατὸς ἑ- στρ.
λοῦσ᾽, ἵνα πατρὶ γόους νυχίους
ἐπορθοβοάσω
ἰαχὰν ἀοιδὰν μέλος Ἀίδα.
πάτερ, σοὶ κατὰ γᾶς ἐννέπω γόους
οἷς ἀεὶ τὸ κατ᾽ ἆμαρ
διέπομαι κατὰ μὲν φίλαν
ὄνυχι τεμνομένα δέραν
χέρα δὲ κρᾶτ᾽ ἐπὶ κούριμον
τιθεμένα θανάτῳ σῷ.

αἶ αἶ δρύπτε κάρα.
οἷα δέ τις κύκνος ἀχέτας
ποταμίοις παρὰ χεύμασιν
πατέρα φίλτατον καλεῖ,
ὀλόμενον δολίοις βρόχων
ἕρκεσιν, ὣς σὲ τὸν ἄθλιον
πάτερ, ἐγὼ κατακλαίομαι

λουτρὰ πανύσταθ᾽ ὑδρανάμενον χροΐ ἀντ.
κοίτᾳ ἐν οἰκτροτάτᾳ θανάτου.
ἰώ μοι ⟨ἰώ⟩ μοι
πικρᾶς μὲν πελέκεως τομᾶς
σᾶς, πάτερ, πικρᾶς δ᾽ ἐκ
Τροίας ὁδίου βουλᾶς.
οὐ μίτραισι γυνή σε
δέξατ᾽ οὐδ᾽ ἐπὶ στεφάνοις,
ξίφεσι δ᾽ ἀμφιτόμοις λυγρὰν
Αἰγίσθου λώβαν θεμένα
δόλιον ἔσχεν ἀκοίταν.

De hac Electrae monodia antea disseruerunt Ioannes Vahlen Opusc. Acad. I 372 sqq., U. de Wilamowitz-Moellendorf Herm. 18 p. 244; sed quae ab his viris doctissimis exposita sunt, rem non conficiunt. Ne Leo quidem, qui praetereundo tantum fere rem attigit, monodiae rationem expedivit (l. l. p. 100). Itaque ut denuo quid subsit investigemus, ab eo ordiendum esse existimo, ut primum accurate inquiramus quae sit huius monodiae condicio et natura.

Carmen *ἀπὸ σκηνῆς*, quod vehementissimam Electrae querelam continet, ad ipsum prologum in finem perductum accedit. Notum autem est posteriore tempore, cum chorus paullatim removeretur, Euripidis in deliciis fuisse monodiis explere parodi locum; quam in fabulae partem hoc quoque Electrae canticum iniunctum videmus[1]). Porro carmina lyrica, quae a singulis personis in scaena canuntur, choricorum dictione conformata esse inter omnes constat[2]). Iam ipsius monodiae originem et naturam cognoscimus notis Photii lex.: *μονῳδεῖν · θρηνεῖν;* Philostrati vit. soph. II 24², p. 109, 23. Kays.: *γράφει . . . ἐπιστολὴν μονῳδίαν ἐπέχουσαν καὶ θρῆνον.* Qui *θρῆνοι* re vera erant carmina *ἀμοιβαῖα*, cuius rei testis est Homerus *Ω* 720 sqq.:

παρὰ δ' εἷσαν ἀοιδοὺς
θρήνων ἐξάρχους οἵτε στενόεσσαν ἀοιδὴν
οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες
τῇσιν δ' Ἀνδρομάχη λευκώλενος ἦρχε γόοιο.

Ὁ ἔξαρχος igitur is est, qui chorum ducit monendo et incitando ad canendum. Quae res multis fabulae scaenicae choricis probari potest; quorum ex numero exempli causa propono Aristoph. Ran. 370, quo coryphaeus, qui vocatur, chorum admonet verbis:

ὑμεῖς δ' ἀνεγείρετε μολπὴν
καὶ παννυχίδας τὰς ἡμετέρας, αἳ τῇδε πρέπουσιν ἑορτῇ,

---

1) cf. Wilamowitz Herm. 18 p. 242: „Der Gesang von der Bühne verdrängt allmählich den Chorgesang, wie ja auch in dramaturgischer Beziehung die Bedeutung des Chores immer mehr sinkt, und in dieser Hinsicht haben wir gesehen, daß die Elektra ziemlich auf der untersten Stufe steht".

2) v. Christ, Griech. Literaturgesch. I⁴ p. 384.

quo audito chorus incipit[1]):

χώρει νῦν πᾶς ἀνδρείως
εἰς τοὺς εὐανθεῖς κόλπους κ. τ. ἑ.

Hanc autem ipsam choricorum rationem et formam imitatus Euripides illam Electrae monodiam composuit. Nam primo coryphaei monitioni respondere elucet Electrae verba:

ἴθι τὸν αὐτὸν ἔγειρε γόον[2])
ἄναγε πολύδακρον ἀδονάν.

Quamquam haec quidem verba non primam carminis stropham ducunt, sed antistrophae demum praefiguntur. Quod quomodo accipiendum et explicandum sit, mox videbitur. Nunc autem ad eos versus nos conferamus, quibus lamentatio ipsa incipitur:

σύντειν' — ὥρα — ποδὸς ὁρμάν · ὦ
ἔμβα ἔμβα κατακλαίουσα.

Primo rei metricae attendamus. Sicut enim primum parodi locum obtinere solent anapaesti, qui chorum in scaenam adducunt, ita Electra procedit ad eundem numerum, qui ad gressus faciendos apte convenit. Nec solum systemata anapaestica, sed etiam voces *ἔμβα ἔμβα*, quae carminis itinerarii propria sunt fictionem augent. Quod ad verba ipsa pertinet, sine dubio quaedam similitudines animadvertuntur, quae inter huius monodiae et choricorum dictionem intercedunt; conferas Aristoph. Ran. 377 *ἀλλ' ἔμβα χὤπως ἀρεῖς*, Eccl. 478 *ἔμβα, χώρει κ. τ. λ.*, Thesmoph. 953 *ὅρμα, χώρει.* Itaque haec quoque originem ducere ex forma et arte, quae propria est choricorum, facile intellegitur. Iam vero ut totius monodiae structuram perspiciamus, comparandum est chori carmen Aristoph. Thesmoph. 947 sqq., cuius ratio haec est. Primo coryphaeus monet (947 sqq.):

ἄγε νῦν ἡμεῖς παίσωμεν ἅπερ νόμος ἐνθάδε ταῖσι γυναιξίν
ὅταν ὄργια σεμνὰ θεαῖν ἱεραῖς ὥραις ἀνέχωμεν κ. τ. ἑ.

---

1) Non inutile erit scholiastae exscribere adnotationem, qui dicit: *ἐντεῦθεν Ἀρίσταρχος ὑπενόησε μὴ ὅλου τοῦ χόρου εἶναι τὰ πρῶτα. τοῦτο δὲ οὐκ ἀξιόπιστον · πολλάκις γὰρ ἀλλήλοις οὕτω παρακελεύονται [οἱ περὶ τὸν χόρον].*

2) cf. Pind. Nem. X 21: *ἀλλ' ὅμως εὔχορδον ἔγειρε λύραν.*

Admonitae deinde incipiunt mulieres (953 sqq.):

ὅρμα, χώρει
κοῦφα ποσίν, ἄγ' ἐς κύκλον,
χειρὶ σύναπτε χεῖρα
ῥυθμὸν χορείας ὕπαγε πᾶσα. βαῖνε
καρπαλίμοιν ποδοῖν
ἐπισκοπεῖν δὲ
πανταχῇ κυκλοῦσαν ὄμμα χρὴ χοροῦ κατάστασιν.
ἅμα δὲ καὶ
γένος Ὀλυμπίων θεῶν
μέλπε καὶ γέραιρε φωνῇ πᾶσα χορομανεῖ τρόπῳ.

Sequitur deinde cantus ipse prima verbi persona institutus, quo confecto eadem ratione altera carminis pars incipitur verbis *παίσωμεν ὦ γυναῖκες, οἷάπερ νόμος* (983).

Quae cum ita sint, Electrae monodiam cognationem habere cum choricorum conformatione plane apparet. Quod magis nobis probatur, si in memoriam revocamus Euripidem hoc consilio monodiam composuisse, ut ubi finitur prologus chori partes ea susciperet. Non igitur iam chorus in parodo, sed una persona tragica servato solemni carmine in scaenam procedit. Qua de causa ipsam cohortationem incipiendi carminis initio primae strophae omissam esse ex rei natura elucet. Nam, quantum ad actionis vim spectat, Electrae progredienti non bene conveniebant verba *ἴθι τὸν αὐτὸν ἔγειρε γόον* vel similia, optime autem ad gradus faciendos accommodata sunt *σύντειν' — ὥρα — ποδὸς ὁρμάν* sqq.

Sed satis de huius monodiae structura disputatum est, quam choricorum exemplo conformatam esse nunc nemo negabit[1]). Vides ergo imperativorum *σύντειν' ἔγειρε ἄναγε* rationem ab iis

1) Monodiae rationem ut plane intellegas, ea, quae de verborum sententia dicit Wilomowitzius Herm. 18 p. 231, conferenda sunt. Docet enim: „im Eingang klagt sie zwar breit genug, aber was ist die ganze Monodie mehr als eine Summe von Gemeinplätzen: *ἐγενόμαν Ἀγαμέμνονος κἄτεκεν με Κλυταιμνήστρα στυγρὰ Τυνδάρεω κόρα. κικλήσκουσι δὲ μ' ἀθλίαν Ἠλέκτραν πολιῆται.* Das ist nicht die gewöhnliche Selbstvorstellung, denn Elektra ist den Zuschauern schon bekannt; sie treibt das Klagen um gegen Aigisthos und die verfluchte Mutter zu demonstrieren“ sqq.

non differre, quos in carminibus choricis antea observavimus. Quorum choricorum naturam et usurpationem si mente comprehendimus, haec de eis statuenda sunt: 1. adlocutiones si fiunt, in initio positae sunt cuiusdam partis carminum; 2. imperativi sunt receptae loquendi formae, quibus vulgo alter saltator alterum monet et ad agendum incitat; 3. vocativus nusquam additur; 4. hortatione absoluta carmen ipsum sermonem per primam verbi personam perducit. Quae omnia rursus nobis occurrunt in Electrae carmine. Itaque demonstrasse mihi videor adlocutiones *σύντειν' .. ποδὸς ὁρμὰν, ἔγειρε γόον* rel. ex choricorum dictione et apparatu petitas ad lyricorum secum loquendi consuetudinem illustrandam omnino non pertinere.

Quibus explicatis nondum omnia absolvimus, quae de Electrae monodia dicenda sunt. Nam alteram hucusque omisimus carminis partem, quae secundam stropham et antistropham continet. Quam non eadem diligentia ad choricorum exemplum poeta conformavit, immo argumento non minus quam condicione canentis eam ab eis, quae praecedunt, discrepare Vahlenius cognovit[1]). Nihilo minus Electrae adlocutiones, quae hic etiam initio stropharum positae sunt, non dubito quin ex eodem fonte fluxerint et eadem ratione explicandae sint (v. 140, 150). Nam si illud respicis, quod de imperativorum natura cognovimus, mira illa vel paene absurda elocutio *θὲς τόδε τεῦχος ἐμᾶς ἀπὸ κρατὸς ἑλοῦσ'* facilem habet explicationem et excusationem[2]).

Restat ut Euripidis „Troades“ afferam, in qua fabula eadem fere monodiarum conformatio invenitur. Clamat enim Hecuba v. 98:

ἄνα, δύσδαιμον, πεδόθεν κεφαλή,
ἐπάειρε δέρην · οὐκέτι Τροία
τάδε καὶ βασιλῆς ἐσμεν Τροίας.

---

1) Vahlen opusc. I 372 sqq.

2) Leo l. l. p. 100: „Ich wage dies weder durch die Annahme einer angeredeten Dienerin, die nach v. 107 nicht statthaft ist, zu erklären noch es zu verwerfen. Es ist dieselbe Sonderung des redenden und des angeredeten Ich, die wir Hek. 736 gefunden haben, die zwar nicht logisch zu erklären ist, wohl aber durch Analogie der durchgehenden Sonderung des inneren Menschen, *θυμός καρδία ψυχή*, von der redenden Person.“

μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου,
πλεῖ κατὰ πορθμόν, πλεῖ κατὰ δαίμονα
μηδὲ προσίστω πρῷραν βιότου
πρὸς κῦμα πλέουσα τύχαισιν.
αἰαῖ αἰαῖ
τί γὰρ οὐ πάρα μοι μελέα στενάχειν
ᾗ πατρὶς ἔρρει καὶ τέκνα καὶ πόσις κ. τ. λ.

ib. v. 278:

ἒ ἒ
ἄρασσε κρᾶτα κούριμον
ἕλκ' ὀνύχεσσι δίπτυχον παρειάν
ἰώ μοί μοι.
μυσαρῷ δολίῳ λέλογχα φωτὶ δουλεύειν κ. τ. λ.

Hactenus de lyricis carminibus. Iam vero ad epica paucis nobis revertendum est, ut de quodam Hesiodi versu dicamus, quo poeta ipse se adloquitur,

Theog. 36: *τύνη, Μουσάων ἀρχώμεθα.*

Appropinquare enim Hesiodus videtur hoc usu loquendi ad lyricorum consuetudinem, quam observavimus supra. Nam adlocutio initio carminis exordientis posita nihil nisi admonitionem incipiendi continet, quam et apud Pindarum (v. p. 23 sqq.) et apud Euripidem (v. p. 25 sqq.) eodem modo usurpatam animadvertimus.

III.

De tragicorum sermone.

Diximus de lyricorum soliloquiis, quibuscum ea, quae de fabularum scaenicarum partibus lyricis disputanda erant, una absolvimus. Nunc de soliloquiis, quae in fabularum sermone inveniuntur, nonnulla adiungenda sunt.

Sublimis est magnificentia, qua exornantur fabulae Aeschyli, *βίου ἡρωικοῦ* laudatoris. Propterea elato et amplo sermone personas loqui voluit nec fortuito factum videtur quod eorum, qui soli in scaena verba faciunt, nemo est, qui *πρὸς ἑαυτόν* vel *πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν* loquatur[1]). Contra alia ei praesto est deliberationis forma, quae depingendae simplicitati sentiendi melius convenit; cf. Choeph. 899:

Or.: *Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδέσθω κτανεῖν;*
Pyl.: *ποῦ δὴ τὰ λαμπρὰ Λοξίου μαντεύματα*
τὰ πυθόχρηστα, πιστὰ δ' εὐορκώματα;
ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.
Or.: *κρίνω σὲ νικᾶν, καὶ παραινεῖς μοι καλῶς.*

„Ganz augenscheinlich sind, an einer rechten Monologstelle, die Elemente des inneren Kampfes in Zwiegespräch aufgelöst", Leo l. l. p. 9. Nimirum in animi adfectionibus heroes fortiores querellis et miserationibus, quas secum habent, non succumbunt, sed si quid necesse est ad firmandum vel levandum animum deis communicant vel aliis numinibus et personis, quas in conspectu aut animo cernunt.

---

1) v. Leo l. l. p. 6sq.

De Aeschylo hactenus. Sequitur Sophocles, qui ipse cum dixerit homines se *οἵους δεῖ ποιεῖν* (Arist. poet. 25 p. 1460 b 33) non secus atque Aeschylus a pristinae antiquitatis exemplis moribusque heroum non declinavit. Tamen cum sententias et actiones personarum explicare et illustrare studeret, consulto subinde animi sollicitudines et conflictiones in scaena descripsit. Quapropter gravibus concitationibus lamentantes proponit atque querellas exprimit brevi soliloquio: *ὦ τλάμων τλάμων ἄρ᾽ ἐγώ κ. τ. ἑ.* (Phil. 1102) et aliis[1]). Ceterum pro concesso habuisse non videtur heroum mores a dignitatis gradu ita demoveri, ut secum de vitae rationibus reputarent.

Offert autem apud Sophoclem locus quidam novi artificii exemplum, quod eo munere fungitur, ut cottidianam vitam et humiliorem hominum naturam describat. Nam in eis fabularum partibus, quas deteriores et minoris ponderis habuit, nonnumquam personas et sententias vitae communis inducere non aspernatus est. Quo in numero custos ille Antigonae fabulae habendus est, qui vehementer concitatus in scaenam advenit et rem gestam animique commotionem breviter exponit narrando soliloquio, quod antea secum habuit; quo eximie eius natura depingitur. Ant. v. 223:

ἄναξ, ἐρῶ μὲν οὐχ ὅπως σπουδῆς ὕπο
δύσπνους ἱκάνω κοῦφον ἐξάρας πόδα.
πολλὰς γὰρ ἔσχον φροντίδων ἐπιστάσεις
ὁδοῖς κυκλῶν ἐμαυτὸν εἰς ἀναστροφήν.
ψυχὴ γὰρ ηὔδα πολλά μοι μυθουμένη·
τάλας, τί χωρεῖς οἷ μολὼν δώσεις δίκην;
τλήμων, μενεῖς αὖ; κεἰ τάδ᾽ εἴσεται Κρέων
ἄλλου παρ᾽ ἀνδρὸς, πῶς σὺ δῆτ᾽ οὐκ ἀλγυνεῖ;
τοιαῦθ᾽ ἑλίσσων κ. τ. λ.

Cuius soliloquii rationem ut paulo uberius explicemus, haec praesumenda videntur, quae ad causas pertinent rerumque condiciones, quibus illud nitatur. Custodes enim cum Antigonae audaciam et nefarium facinus cognovissent, virgine quidem nondum capta unum ex numero miserunt, ut fideli animo huius

1) Leo l. l. p. 10.

rei nuntium ad regem adferret. Qui profectus, cum metueret ne poenas solveret, multum temporis contrivit in itinere cogitationibus et deliberationibus occupatus. Itaque metu exanimatus cum ad regem advenisset ut veniam impetraret, aperte atque ingenue confitetur, quid animo adfectus secum reputaverit et deliberaverit. Multas enim se habuisse *φροντίδων ἐπιστάσεις*[1]), quia vocem quandam animo andire sibi visus esset, quae obstaret cogitationibus suis et consiliis, quae nunc eum admonuit: *τάλας, τί χωρεῖς οἷ μολὼν δώσεις δίκην;* ac rursus: *τλήμων μενεῖς αὖ; κ. τ. ἑ.* Iam vero quod gravissimum, eam vim, quae illas *φροντίδων ἐπιστάσεις* effecit, *ψυχήν* esse significat; quae *ψυχή* eo fine surrexit et oppugnavit ne imprudens in periculum incurreret.

Qua in re id mirum videtur, quod non se ipsum *πρὸς ἑαυτὸν* verba fecisse vel secum deliberavisse, immo aliud quid se admonuisse affirmat. Est igitur manifestum habere hunc hominem naturam divisam quasi in duas partes, quarum altera auctorem et ducem se praebet alterius. Iam vero ad superiorem eius animi partem qualis fuerit diligentius advertere operae pretium est.

Ac primo quidem afferenda sunt nonnulla exempla, quibus paulo uberius illustretur, quae vis sit notionis *ψυχῆς*. Quae anima in rebus humanis constituendis summa auctoritate est testante ipso Sophocle, frg. 97:

ψυχὴ γὰρ εὔνους καὶ φρονοῦσα τοὔνδικον
κρείσσων σοφίστου παντός ἐστιν εὑρετίς.

Item Euripidis Iphigenia consilii expers auxilium petit verbis, Iph. Taur. 881:

τόδε τόδε σὸν, ὦ μελέα ψυχά,
χρέος ἀνευρίσκειν.

Antiphon denique eam vim, quae constringit animum, designat verbis *βουλεύσασα ψυχή* (tetr. 3, *a*, 7).

Nimirum haec non est ea *ψυχή*, quae in populi opinione insidebat ex Homeri aetate[2]) indeque usque remansit in Pindari

---

1) cf. Ovid. Met. IX 152: in cursus animus varios habet.
2) v. Rohde, Psyche II p. 139.

carminibus[1]), quae ut Rohdii[2]) verbis utar, „den Lebensäußerungen ihres Leibes wie ein Fremdes müßig zusieht“, sed vis est optima hominis naturae ingenita eaque sibi conscia, quae semper adsit rebus et consiliis hominum. Quaeritur autem, num cum *ψυχῆς* notione ea animi humani vis, quam in carminibus Homericis voce *θυμός* significatam videmus, comparanda sit. Quod prorsus quidem vix quisquam negabit; tamen, quantum ad soliloquiorum formulas inductorias pertinet, mihi quidem Leonis sententia non probatur, qui custodis et heroum soliloquiis comparatis iudicat (p. 98): „Die Seele redet zu ihm wie der *θυμός* zum homerischen Helden *(τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός).*“ Nam primum quidem nihil nisi sermonis epici consuetudinem agnosci in verbis *θυμὸς διελέξατο* pro *ἐγὼ διελεξάμην* positis supra (p. 10 sq.) evicimus. In Homeri soliloquiis ipsis heroes, dum deliberant, per primam semper verbi personam secum loquuntur et allocutionem talem, qua altera natura scil. *θυμός* hominem ipsum adfatur, prorsus desideramus in omnibus soliloquiis epicis. Porro ut certam quandam differentiam inter utramque notionem intercedere intellegas, non inutile erit Rohdii iudicium afferre dicentis: „Aber die Seele hat nach der Vorstellung der Physiologen ein ganz anderes Verhältnis zu der Gesamtheit des Lebens und des Lebendigen als der homerische *θυμός* oder die homerische „Psyche“ haben konnten“ (l. l. II p. 142); „Eben dies aber und mehr (sc. quam *θυμός*), die Summe aller Geisteskräfte des Menschen überhaupt, bezeichnet das Wort *ψυχή* im Sprachgebrauch der (nicht theologisch gerichteten) Philosophen, für welche jener seelische Doppelgänger des sichtbaren Menschen, den die Volkspsychologie als *ψυχή* kannte, außer Betrachtung blieb und das Wort *ψυχή* zur Benennung des gesamten geistigen Inhalts des Menschen frei wurde. Vom fünften Jahrhundert an findet man auch im Sprachgebrauch nicht philosophischer Dichter und Prosaschriftsteller *ψυχή* ganz gewöhnlich, ja der Regel nach in diesem Sinne verwandt“.

Quibus cognitis vix dubium esse potest, quin custodis verba *ψυχὴ γὰρ ηὖδα πολλά μοι μυθουμένη* (v. 227) haud exiguo

---

1) P. IV 159; Nem. VIII 44 al.; cf. Rohde l. l. II p. 207, 2.

2) Psyche II 140.

sententiae discrimine ab epicis illis formulis discedant. Itaque sententiam eorum ut melius perspiciamus, in memoriam nobis revocemus necesse est ea, quae de altera hominis natura adhuc ex Graecorum litteris eruimus. Cognovimus enim superiorem animi vocem Homeri heroes finxisse eam, quam deo aliquo auctore ortam esse opinabantur. Non aliter atque heroes lyricos doetas sensisse Sapphonis testimonio comprobatur (v. p. 23). Quibuscum qua cognatione coniungenda sit Sophoclis sententia iam spectemus.

Proficiscendum autem est a sententiis philosophorum, quos quo flagrabant veri studio, sublata antiqua pietate ad universam rerum naturam mundique vires rationales animos advertisse notum est. In eorum philosophia nullus erat locus nullaque fides deorum numinibus, quae opinione indoctorum mundum extrinsecus regebant. Immo in eis, quae sunt, divinam vim reperiebant, deus, qui ab iis intellegitur, in ipsa materia est, quae sentit et movet omnia. Itaque non modo animum rebus inesse censebant, sed Heraclitus etiam materiam plenam rationis et consilii agnoscebat.

Sed non modo animus per omnem rerum naturam intentus et diffusus, verum hominis ipsius natura et vita his viris non minori curae erat, quam pari studio colerent. Satis illustrari potest inde ab Homeri aetate per temporum decursum personam et animum hominis sensim sibi ipsi in notitiam venisse magis magisque inclaruisse. Nempe iam Heraclitus princeps exstitit ad ingrediendam sui cognoscendi rationem et hoc magnopere spectavit, ut sui ipsius recordatione animum suum cognosceret (cf. frg. 101 D.: *ἐδιζησάμην ἐμεωυτόν*). Huc pertinet illud *γνῶθι σαυτόν*, quod Apollo praecepit Pythius. Quod non modo sapientis est, sed *ἀνθρώποισι πᾶσι μέτεστι γιγνώσκειν ἑωυτοὺς καὶ φρονεῖν*[1]). Vitium autem est vulgi, quod a ratione animos avertunt et sensuum gubernaculo confidunt. Tamen ei, qui illud *θεῖον*, cui omnis ratio inest, animo suo ut particeps sit divinae sapientiae adpetit, ei *ἦθος* est *δαίμων*[2]). „Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dicatum putabit,

1) Heracl. frg. 116.
2) Her. frg. 119.

tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet, et, quom se ipse perspexerit totumque temptarit, intelleget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam" sqq.: Cic. de leg. I 59.

Anaxagoras autem divinae mentis et consilii naturam aliam interpretandam esse putavit. Enim vero cum memoria Graecorum ab antiqua sententia et dei opinione averti non posset, adductus ad dubitandum et corrigendum ea, quâe priores de divina mente statuerant, non probavit et reiectis vulgaribus deorum opinionibus rectius intellegere sibi visus est divinae providentiae et numinis naturam. Fatetur de eo Aristoteles (met. I 3 p. 984 b 17): *οἷον νήφων ἐφάνη παρ' εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον.* Ut vere Graecus Anaxagoras mirificam mundi naturam et ordinem institui non posse cognovit nisi a numine quodam, quod ab omnibus solutum sua mente complectitur omnia et omnibus praestat potentia. Itaque *πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέστησεν*[1]). Nolim quaerere an recte se habeat, quod posteriores *νοῦν* apud Anaxagoram deum esse tradunt, apertissime quid ipse sentiat dicit de eius natura disputans: *καὶ γνώμην γε περὶ παντὸς πᾶσαν ἴσχει καὶ ἰσχύει μέγιστον. καὶ ὅσα γε ψυχὴν ἔχει καὶ μείζω καὶ ἐλάσσω πάντων νοῦς κρατεῖ*[2]). Nobis vero illud maioris momenti est, quod uniuscuiusque hominis animum ab eo occupari existimabat: *καὶ ὁποῖα ἔμελλεν ἔσεσθαι καὶ ὁποῖα ἦν ἅσσα νῦν μὴ ἔστι καὶ ὁποῖα ἔστι, πάντα διεκόσμησε νοῦς*[3]). Non deus quidem, non caeca fortuna rerum naturam et vitae varietatem effecit, sed, quod est vel fit, consilio fit. Quae aguntur et quae sentiuntur, ad eandem hanc vim referenda sunt omnia. Homo ipse auctor est, cui ea vis, quae sita est in animo, rectam viam demonstrat. Nam *νοῦς* est *φρουρὸς τῶν πάντων*[4]). Iuvat afferre hoc loco luculentissimum testimonium Pindari qui summam animi vim quasi socium et comitem Apollini coniunxit, Pyth. III 28:

---

1) Diog. Laert. II 6.

2) Anax. frg. 12 D.

3) frg. 12; cf. F. Krohn, Der *νοῦς* bei Anaxagoras. Progr. Monast. a. 1907 p. 21.

4) test. Suid. et Harpocrat. v. F. Krohn l. l. p. 23.

Λοξίας, κοινᾶνι παρ᾽ εὐ-
θυτάτῳ γνώμαν πιθὼν
πάντα ἴσαντι νόῳ.

Adde illud Epicharmi frg. 12: *νοῦς ὁρῆι καὶ νοῦς ἀκούει, τἆλλα κωφὰ καὶ τυφλά.*

Sed redeundum est ad Anaxagoram. Aristotelem enim si testem adhibemus, Anaxagoram docuisse legimus *πολλαχοῦ μὲν γὰρ αἴτιον τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς τὸν νοῦν, ἑτέρωθι τοῦτον εἶναι τὴν ψυχήν*[1]. Porro etiam Platonis auctoritate probatur eum superiorem hominis naturam non solum *νοῦν*, sed etiam *ψυχήν* appellavisse, Cratyl. 400 A: *τί δέ; καὶ τὴν τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν οὐ πιστεύεις Ἀναξαγόρᾳ νοῦν καὶ ψυχὴν εἶναι τὴν διακοσμοῦσαν καὶ ἔχουσαν;* itaque reliquum est, ut breviter demonstretur, qua ratione accipi possit, quod non modo *νοῦς*, sed *ψυχή* quoque auctor est *τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς*: „*νοῦν* proprie appellavit summam intellegentiam solam, quae universam materiam movit, secrevit atque descripsit (*χρῆμα δ᾽ ἀμφοῖν ὡς μίᾳ φύσει, πλὴν ἀρχήν γε τὸν νοῦν τίθεται μάλιστα πάντων* Arist. de an. I, 2), *ψυχήν* contra mentem eam, quae rebus inest animatis" (Schorn, Anax. frgm. Bonnae a. 1829, p. 28).

Explicata igitur et divisa est hominis natura in duas partes, ita ut altera rationis particeps coerceat et regat alteram rationis expertem. Ea autem animi pars, quae rationis est particeps, et a philosophis et a scriptoribus, qui eos secuti sunt, *ψυχή* vocatur. Haec igitur ea vis est, quae hominibus in vitae via munienda et rebus gerendis summus quasi auctor et dux adstat. Itaque nihil magis manifestum esse vides quam cognatione quadam coniungenda esse heroum colloquia, quae cum dis instituuntur, et colloquium illud Antigonae quod custos cum *ψυχῇ* habet. Adcumulata autem verba illa quae sunt *ηὔδα πολλά μοι μυθουμένη* (v. 227), qualia a scriptoribus saepius ad inducendam orationem adhibentur (Her. I 122 *ἔλεγε φάς*, II 172 *ἔφη λέγων*, Aristoph. Av. 472 *ἔφασκε λέγων*, Plat. Soph. 242 a *εἶπον που λέγων*, Soph. Ai. 757 *ἔφη λέγων*), efficaciter cogunt audientes vel legentes, ut *ψυχήν* quasi personam loquentem intellegant,

---

1) cf. l. l.

quae verbis clare pronuntiatis re vera exponit, quid custodi faciendum sit. Priamus sive Achilles, Homeri heroes, divinam monitionem percipiunt, cui omnibus rebus posthabitis obsequendum putant; non secus ne huius quidem aetatis hominum aures clausae sunt voci rationis. Sophocles igitur cum custodem ita loquentem inducit, hominem depingit, qui non heroum, sed sui temporis ratione secum agitat.

Quod Sophocles in iis tantum admisit, qui secundas partes agunt, Euripides a dignitate heroum ipsorum alienum non habuit. Euripides, qui omnino ad vitae consuetudinem artem dirigebat, heroes ad suae aetatis mores descripsit, ita ut non multo aliter senserint ac iudicaverint quam qui aliquam philosophorum sectam sequebantur, cuius modi studiis poetam ipsum deditum esse notum est. Itaque Aristoteles iudicat: *καὶ ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.* Hoc ipsum enim cum propositum haberet, ut vitae pulchritudini et varietati ars responderet, eam tragoediam creavit, quae maxime tragica visa est. Nam in hoc uno ante omnia excellere studebat, ut accuratissime exornaret ingenium et indolem cuiuscumque heroum nec minus gesta et facta probaret argumentis. In his quantum tribuerit soliloquio, ex eo cernitur, quod magis magisque chori praesentiam neglexit, qui ut testis auritus illi artificio, quo poetae homines in secreto meditantes et secum loquentes inducunt, semper obstabat. Solvit igitur et dirumpit hoc vinculum Euripides, cuius in fabulis non modo persaepe *θυμός καρδία ψυχή χείρ* sim. a secum loquentibus appellantur, sed etiam inveniuntur personae, quae n o m i n e s e a d l o q u u n t u r, idque primum apud Euripidem occurrit. Praeterea hoc etiam commemoratione dignum videtur, quod hoc secum loquendi genus in iis partibus invenitur, quibus summi artificis laudem sibi comparavit Euripides, Medeam dico et Hecubam, quarum naturam ita videmus ab eo depictam, ut nihil perfectius in eius fabulis cognoscatur.

Accedimus primo ad Medeae soliloquium, quod exstat Med. v. 401 sqq. Medea ulciscendi consilio reputato ad agendum adgressa choro, quem ut sibi officiat non veretur, sententiam explicat (v. 364 sqq.). Cum omnes huius fabulae orationes, tum

haec quoque artis oratoriae signo notata est[1]). Post brevem praefationem (v. 364—365) prima parte choro aperit perdere se decrevisse Creontem et Iasonem eiusque sponsam (v. 366—375). Pergit altera parte de parandae necis ratione disputans, quae sit aptior, utrum gladio an veneno (v. 376—385). Transit deinde ad quaestionem instituendam de sua ipsius in futuro tempore condicione, quam absolvit consilio ulciscendi magna vi iterum enuntiato (v. 386—400). Tot verba ad chorum; deinde illud soliloquium sequitur, sive extrema eius orationis pars talis est ut ipsa ad se verba faciat Medea v. 401 sqq.:

ἀλλ' εἶα · φείδου μηδὲν ὧν ἐπίστασαι
Μήδεια, βουλεύουσα καὶ τεχνωμένη.
ἕρπ' εἰς τὸ δεινόν · νῦν ἀγὼν εὐψυχίας.
ὁρᾷς ἃ πάσχεις; οὐ γέλωτα δεῖ σ' ὀφλεῖν
τοῖς Σισυφείοις τοῖς τ' Ἰάσονος γάμοις
γεγῶσαν ἐσθλοῦ πατρὸς Ἡλίου τ' ἄπο.
ἐπίστασαι δέ · πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
γυναῖκες εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

Et primum quidem in his extremis tribus versibus *ἐπίστασαι δέ κ. τ. λ.* paullulum subsistendum est. Nam rationem afferamus, quare Leonis iudicium non secuti simus, qui haec verba, quae alii viri docti ut spuria in dubium vocaverant[2]), ab antecedentibus seiunxit et ad chorum rursus dicta esse existimat. Cui sententiae ut accedam valde haesito. Nam primum, si linguae consuetudinem respicimus, in eo quod *ἐπίστασαι* singulari numero adhibetur, offendimus; praeeuntibus enim formis *φείδου* (401) *ἐπίστασαι* (401) *ἕρπ'* (403) *ὁρᾷς πάσχεις δεῖ σ' ὀφλεῖν* (404), quae omnia ad Medeam pertinent, chori adlocutio e vestigio non per numerum singularem, sed aptius per pluralem instituenda erat, ut re vera factum est in priore orationis parte (v. 365, 377). Quamquam de hoc argumento si dubites, concedam fortasse. Nam non me fugit, cum vivam animo nostro imaginem in scaena agentis repraesentamus — nam facta ad usum scaenae, non ad

---

1) cf. E. Norden, Ant. Kunstprosa I p. 28.

2) Hartung, de Eurip. fab. interpol. p. 33.

legendum est fabula — exiguo silentii intervallo post versum 406 supposito, quo sententiarum fieret interstitium, dubitationem nostram fortasse removeri posse. Quodsi hoc ego argumentum ipse debilitavi, tamen si rem ipsam spectamus, necessario negare debemus verba illa ad chorum facta esse. Nam si ad chorum dicta sunt, Medeam ea facere apparet hoc consilio, ut sceleris foeditatem excuset et mulierum animos conciliatos sibi reddat. Sed omnia, quae Medea ad chorum adhuc locuta est, ad propositum communicandum protulit, nusquam autem pro necessario habuit sui purgandi causa quidquam ei adferre. Contra apto sensu haec verba non coniunguntur nisi cum eis, quibus antea se ipsam admonuit et sibi ipsi consilii capti rationes reddidit. Quod magis etiam conspicuum erit, si omnem verborum complexionem consideraverimus. Nam ultima orationis pars (v. 401 sqq.), ut supra dictum est, per se stat. Omnia, quae ad chorum dicenda erant, prioribus peracta et conclusa sunt. Itaque nihil novi adferunt versus 401 sqq., immo exinde quae narrantur repetitionem efficere videntur earum rationum, quas inierat Medea, quibus usa ad consilium capiendum adducta est. Quae cum ita sint, ad Milleri sententiam accedam, qui hanc orationis partem epilogum esse iudicat[1]), quo redditur *ἡ ἀνάμνησις ἐν κεφαλαίῳ*. Quam consummationem pressa argumenti brevitate et elaborata arte magno effectu non carere ultro agnoscitur. Animum advertas quaeso ad usum modi imperativi et brevissimas sententias *ἀλλ' εἶα — φείδου μηδὲν ὧν ἐπίστασαι — ἕρπ' εἰς τὸ δεινὸν — νῦν ἀγὼν εὐψυχίας — ὁρᾷς ἃ πάσχεις*. Inest etiam nominis allusio: *Μήδεια βουλεύουσα τεχνωμένη* (v. 402); solebant enim illius aetatis viri docti in hominum nominibus fatidicum aliquid perspicere aut ex eis mores et naturam hominum ipsorum explicare. Denique ultimi duo versus simili verborum concentu solemnem conclusionem efficiunt:

γυναῖκες, ἐς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται,

quod artificium esse a Gorgia commendatum monendum est.

---

1) Miller, Euripides rhetoricus; Diss. Goett. a. 1887 p. 68 sq.

Pergo ad sententiarum ordinem, in quo tres orationis partes discernuntur,

I. exclamatio et propositio:

ἀλλ' εἶα φείδου μηδὲν ὧν ἐπίστασαι
ἕρπ' εἰς τὸ δεινόν.

II. enumeratio:

a) praesentia: *νῦν ἀγὼν εὐψυχίας*

b) praeterita: *ὁρᾷς ἃ πάσχεις*

c) futura: *οὐ γέλωτα δεῖ σ' ὀφλεῖν κ. τ. λ.*

III. conclusio:

ἐπίστασαι δέ · πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν κ. τ. λ.

Vides quam arte cohaereant orationis partes. Nam in conclusione illud *ἐπίστασαι δέ* repetit adeo primae partis verba *φείδου μηδὲν ὧν ἐπίστασαι,* ad quam sententiam revertitur Medea, postquam argumenta enarravit. Distrahi igitur hoc a proximis et per se cogitari debet, ut proponit de Arnim[1]), qui sensum recte indicasse videtur, cum dicit: „daß *ἐπίστασαι* hier absolut gebraucht ist (= *ἐπιστάμενον εἶναι*). Der Gedanke ist also: Ich bin ja Kennerin auf diesem Gebiete. Aber auch wenn ich's nicht wäre, schon als Weib bin ich geschickt mit schlauer List Unheil anzustiften. Dies Talent ist nun einmal die Kehrseite der Weiberschwäche. Höhnisch wiederholt Medeia den Vorwurf, den sie so oft aus Männermund über ihr Geschlecht gehört hat, um sich zu ihrem Werke Mut einzusprechen". Adiungam testimonium scholiorum, quae habemus assentientia (v. 407): *ἐπίστασαι δέ · μηχανάς μέν τινας δι' ὧν αὐτοὺς φονεύσεις. εἰ δὲ καὶ μὴ ᾔδεις, ἔχεις αὐτὸ τὸ ἔμφυτον ταῖς γυναιξὶν εὑρεσίκακον.* Denique interest etiam monere, quod manifestum est, Medeam illis verbis absolutis dum chorus cantat, secum agitantem in scaena remanere[2]).

Quibus expeditis nunc de huius soliloquii natura videndum est. Nam Euripidem non sine ratione et consilio hanc ultimam orationis partem artificiis oratoriis exornatam adiunxisse mani-

1) ed. comment. adn. ad vers. 407.

2) cf. Weckleinii edit. ad vers. 408.

festo elucet. Immo Medeam describit mulierem forti animo munitam et ratione praeditam. Primum enim ad hoc attendas, quod in eo soliloquio a reputandi et deliberandi ratione Medea plane se abstinet. Nam omnia, quae evenire possent, oratione ad chorum habita diligenter consideravit. Iam vero quae ipsa ad se derigit verba quasi imperata superioris animi naturae videntur, quibus quasi a domino excitata ipsa ad firmitatem se intendit. Nonne documento sunt acerrimae Medeae mentis, quae mens in eius animo loqui videtur? Et hoc quidem constat Medeam ex eo Euripideae aetatis hominum genere esse, qui praeter ceteros eo excellunt, quod mentem habent plurimum valentem et animum ad omnes res gerendas maxime paratum; quod cum alii tum Iason ipse confirmat dicens (v. 529): *σοὶ δ' ἔστι μὲν νοῦς λεπτός*, vel Creon (v. 285) *σοφὴ πέφυκας καὶ κακῶν πολλῶν ἴδρις.* Nimirum ex parvo mulierum numero (*παῦρον δὲ γένος, μίαν ἐν πολλαῖς εὕροις ἂν ἴσως* Med. v. 1087) Medea est, quae dicere possit: *ἀλλὰ γὰρ ἔστιν μοῦσα καὶ ἡμῖν, ἣ προσομιλεῖ σοφίας ἕνεκεν* (Med. v. 1085) vel ut cum docta Melanippa loquatur:

ἐγὼ γυνὴ μέν εἰμι, νοῦς δ' ἔνεστί μοι,
αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω[1]).

Itaque ea cum sit ingenii praestantia, sibi plurimum confidit neque ullo duce divino extraneo eget ad salutem et dignitatem suam tuendam. Hic enim est fructus, quem sapientes ex studiis et animi exercitatione percipiunt, quod ipsi secum possunt consuetudinem inire. Quam in rem Antisthenis philosophi testimonium afferre iuvat, quod exstat apud Diog. Laert. VI, 6, ubi legitur: *Ἐρωτηθεὶς τί αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη τὸ δύνασθαι ἑαυτῷ ὁμιλεῖν.* Non aliter Medea, atque quod ad eius ingenium cognoscendum notatione dignum videtur, mulierem ingenio atque indole praestantem saepissime verba secum solam facere consuevisse chorus testis est, v. 31: *αὐτὴ πρὸς αὑτὴν πατέρ' ἀποιμώζῃ φίλον*, qui locus etiam propterea memorabilis est quia hic primum, ni fallor, ad verbum dicendi illud

---

1) Aristoph. Lysistr. 1124; schol. ad v. 1125: *ὁ στίχος ἐκ σοφῆς Μελανίππης Εὐριπίδου.*

πρὸς ἑαυτόν accedit[1]); quamquam haec quidem verba ad querellas tantum spectare videntur; extant tamen etiam alia in Euripidis fabula soliloquia Medeae, quibus demonstratur, quanta diligentia gravissimas res secum ipsa deliberaverit atque absolverit (cf. v. 1014 sqq., 1242 sqq.). Quibus omnibus Medeam feminam strenui consilii esse nemo est, quin intellegat. Iam supra cognovimus adiutorem eius et ducem nullum esse nisi animum et rationem, quae propria ei inest. Cuius humanae rationis vis tanta est, ut Euripides *τὸν νοῦν* in homine divinum vel ipsum deum esse iudicaverit frg. 1018: *ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός*[2]). Quod explicat Nemesius Emes. de N. H. p. 348: *Εὐριπίδης δὲ καὶ Μένανδρος ἐν ἐνίοις τὸν νοῦν τὸν ἐν ἑκάστῳ φασὶ προνοεῖν ἑκάστου, θεῶν δὲ μηδένα.* Luculentissimum autem Menandri est testimonium, qui dicit (frg. 70 K.): *ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ὁ λαλήσων θεός.*

Itaque si quaerimus, quae sit superior illa natura, quae tamquam domina Medeam v. 386 sqq. ad agendum incitat, quid verisimilius quam eundem hunc *νοῦν* agnoscendum esse, qui Medeam adloquatur eodem modo, quo custos ille Sophocleus a *ψυχῇ* adpellatur? Haec *ψυχὴ πολλὰ μυθουμένη* suo nomine induci poterat apud Sophoclem Ant. 227, eadem loquitur quidem ad Medeam quoque, sed eius ibi nomen memorare non licebat Euripidi, nisi quod ad *εὐψυχίαν* Medeam evocat v. 403.

Iam vero id etiam fore nobis adiumento spero, quod Andromacha *τὸν νοῦν* magistrum esse confirmat Tro. 652:

τὸν δὲ νοῦν διδάσκαλον
οἴκοθεν ἔχουσα χρηστὸν ἐξήρκουν ἐμοί.

Etiam magis autem ibidem Hecuba anus indolis merito praestantiaque animi Medeam adaequat. Quare casu factum esse non videtur, quod Euripides eam etiam loquentem secum solam

---

1) cf. Birt, Krit. u. Herm. p. 187.

2) cf. Nestle, Untersuchungen über die philos. Quellen des Euripides, Philol. Suppl. 8 (1901) p. 567: „Bei Euripides wie bei Heraklit treffen wir die Hochschätzung des über der sinnlichen Wahrnehmung stehenden denkenden Geistes, der gradezu als göttlich bezeichnet wird.“

inducit, et hoc alterum est secundi generis soliloquium, quod in Euripidis inest fabulis, Hec. 736:

δύστην' — ἐμαυτὴν γὰρ λέγω λέγουσα σέ —
Ἑκάβη, τί δράσω; πότερα προσπέσω γόνυ
Ἀγαμέμνονος τοῦδ' ἢ φέρω σιγῇ κακά; κ. τ. λ.

Huius soliloquii priores versus ut expedirent, valde laboraverunt viri docti. Atque Didymum notum est hanc adlocutionem Hecubae ad Polydorum filium rettulisse (cf. schol.), mira quidem rerum ignorantia, ut iudicat Roemerus (Abh. d. Münch. Ak. XIX p. 636). Sane quidem concedendum est difficilem huius soliloquii rationem propriam desiderare explicationem. Nam Hecuba ipsa, quomodo adpellatio *δύστηνε Ἑκάβη* accipienda esset, nisi necessitas cogeret, certe non docuisset verbis illis interiectis: *ἐμαυτὴν γὰρ λέγω λέγουσα σέ.* Quorum verborum quae ratio sit, statim apparet, si illam attendas Graecorum consuetudinem, qua talibus in condicionibus, quibus Hecuba nescit quid faciendum sit, alterum aliquem sive deum sive hominem implorare solent, ut eis adsit consilio. cf. Aesch. Choeph. 899, ubi Orestes Pyladem adit verbis: *Πυλάδη, τί δράσω; κ. τ. λ.*[1]); Sophocl. Philoct. 883: *ὦ Ζεῦ, τί δράσω;* et al. Hecuba autem simul et suo ipsius et huius alterius munere fungitur, cum ad se dicit: *δύστην' Ἑκάβη, τί δράσω;* Quod non ita mirum tibi videbitur, si comparaveris sententiam, quam alio loco (frg. 1005) proponit Euripides dicens: *ἐγὼ δ' ἐμός εἰμι.* cf. Prisciani inst. 17, 110 (vol. II p. 166, 20): „in una autem eademque persona possessor simul et possessio intransitive intellegi non potest nisi figurate dicat aliquis: *meus ego sum et servus et dominus,* et similia". Hic igitur hominis natura in duas partes separatur, superiorem alteram, alteram inferiorem. Quo eodem modo Hecubae verba explicantur. Hecuba enim cum sit mulier magno ingenio praedita, in consilii capiundi deliberatione non quaerit alterum, sed sic ut Antisthenes ille *ἑαυτῇ ὁμιλοῦσα* suo ipsius consilio utitur. Nimirum superiorem sui animi partem invocat dicens *Ἑκάβη, τί δράσω.*

Denique ad haec omnia recte intellegenda sententiam Epicharmi iniuria neglectam, quam nobis Plato servavit, adfero.

1) cf. supra pg. 32.

Socrates enim in Gorgia p. 505 D, ubi Callicles de soliloquio verba fecerat (*λέγων κατὰ σαυτὸν ἢ ἀποκρινόμενος σαυτῷ*), respondet hoc illud esse Epicharmi, qui profitebatur: „ego solus suffecerim ad eloquendum, quod ante me duae personae colloquentes proferebant" (*ἵνα μοι τὸ τοῦ Ἐπιχάρμου γένηται, ἃ πρὸ τοῦ δύο ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ὢν ἱκανὸς γένωμαι*); cf. Athen. p. 308 C. Vigebat itaque teste Epicharmo iam Aeschyli temporibus in scaena Syracusana soliloquium in usum sapientiae iocose habitum et ita institutum, ut quasi colloquium duorum esse videretur. Quae observatio gravissima non solum ad tragicorum locos, quos tractavi, recte iudicandos pertinet, sed etiam ad capita sequentia, quae sunt de philosophis et de comicis, viam munit.

IV.

De sermone Socratico.

Quibus absolutis nunc id litterarum genus pervestigamus, quod libros pedestri oratione conscriptos continet. In quo primo de Socrate dicendum est, qui philosophorum princeps egressus ex antiquiore aetate novam adduxit. Non est huius loci de eius doctrina copiosius disserere; hoc constat eum indefesso labore hominum animos ad sapientiae studium convertisse, quo deligentius veram virtutem excitandam curarent. Nam summum bonum in virtute posuit, ipsa autem virtus cum rerum agendarum scientia, tum sui ipsius cognitione nititur[1]). Atque ita quantum morum antiquorum progressum effecerit, omnes sciunt[2]). Nobis autem ea potissimum excitanda est quaestio, ut quae sit eius vis in soliloquii natura cognoscenda demonstretur.

Itaque primum, quanta diligentia Socrates secum cogitaverit, testis est Plato, qui narrat Symp. 220C: *ξυννοήσας γὰρ αὐτόθι ἕωθέν τι εἱστήκει σκοπῶν, καὶ ἐπειδὴ οὐ προὐχώρει αὐτῷ οὐκ ἀνίει, ἀλλὰ εἱστήκει ζητῶν. καὶ ἤδη ἦν μεσημβρία καὶ ἄνθρωποι ᾐσθάνοντο καὶ θαυμάζοντες ἄλλος ἄλλῳ ἔλεγον, ὅτι Σωκράτης ἐξ ἑωθινοῦ φροντίζων τι ἕστηκεν.* cf. etiam ib. p. 174D. Deinde hoc vide, quod gravissimum est in nostra causa, Socratem,

---

1) Plat. Apol. 21; Xenoph. Mem. IV 2, 24.

2) Quod breviter declarare mihi liceat Mischii verbis dicentis Autobiogr. I 77: „Diese Reflexion war darauf gerichtet den einzelnen Menschen aus einem in vulgärer Naivität dahinlebenden Glied der Gesellschaft ..... zum bewußt gestaltenden Baumeister der eigenen Existenz zu machen“.

qui animi subtilitate et ingenii vi Graecos superavit universos cuiusque cogitationem in quamlibet rem expediendam convertere natura coegerat et assuefecerat, intimam animi vocem, quam percepit[1]), tanti aestimavisse, ut divinitus in se excitatam esse eam crederet. Sane quidem, quamvis esset pietate inter paucos insignis[2]), qua florebat eruditione et sobrietate animi, non dei alicuius certi monitione se incitari arbitratus est, nec vero, cum deorum cultum et opiniones a maioribus traditas non detrectaret, motum illum animi sola mentis et rationis humanae vi effectum esse existimavit, sed manifestum divinae cuiusdam naturae documentum hoc signum ei visum est, quod eum ita non fefellit, ut, quotiens sequebatur eius monitionem, semper rectum se fecisse dicere posset[3]). Accedit quod plane nesciebat, unde fieret, nec perspectum habebat, quibus ex causis orta esset illa animi commotio[4]). Itaque divinam naturam ei attribuit, quam incerta daemonii notione significavit[5]).

Iam vero de daemonii ratione accuratius nobis videndum est. Qua in re diversissimis virorum doctorum iudiciis, quae exstant, multa satis explicata sunt; de quibus, ne in singulis consectandis et colligendis longior sim, ad Augusti Willingii iudicium te reicio, qui aequata cura „de Socratis daemonio quae antiquis temporibus fuerint opiniones“ dissertationem nuper edidit (Lips. a. 1909).

Ac missum faciamus, quod opinabantur nonnulli cum veteres tum nostrates Socratem genii cuiusdam consuetudine usum esse[6]); nec vero hoc dubitari potest, quin inter daemonii et conscientiae naturam, etsi affinitate quadam conexae sint, tamen multa intercedant, quae, ne temere confundamus duas

---

1) Plat. Phaedr. 242 *φωνὴν ἔδοξα .... ἀκοῦσαι,* cf. etiam Apol. 31 D; Xenoph. Apol. 12.

2) Xenoph. Mem. I 1, 19.

3) cf. Apol. 31 D; 40 B al.

4) v. Zeller, Grdr. II 1^4, 79 sqq.

5) Quod Zellerus illustrat verbis (Grdr. II 1 p. 79 adn. 1): „Er wählte daher zur Bezeichnung seiner Herkunft ein Wort. in dem nicht mehr lag, als der unbestimmte Begriff des Übermenschlichen, den das *δαιμόνιος* ausdrückt“.

6) Willing l. l. p. 166 (cf. Zeller II 1, 75).

res, nos monent[1]). Itaque statuamus cum Willingio[2]) daemonium esse „sensum obscurum quidem sed valentem, qui in Socratis animo habitans eius regendi et moderandi potestatem quasi habenas habet. .... Ita alteram quasi naturam in pectore inclusam tenere sibi videbatur, cui semper obsequebatur. .... Deum quasi habet in pectore arcanum[3])“.

Sed haec vox divina, quamquam futura praenuntiabat, non nisi ea ratione Socrati adstitit, ut ad agendum eum nunquam incitaret, sed solum ab iis rebus gerendis animum revocaret, quae ipsi aliisque detrimento fieri potuissent. Hoc enim Platonis auctoritate satis certum videtur[4]). Quamquam non desunt, qui ad alterius locupletissimi testis sententiam provocaverint, qua utrumque admonuisse daemonium, et quid faciendum et quid non faciendum sit, significari videtur[5]). Sed huic Xenophontis sententiae, quippe quae nullo idoneo exemplo defendi possit[6]), ne plus tribuatur quam par sit, caveamus. Itaque Willingius ex diversis testimoniis hoc unum concludendum esse haud improbabiliter suspicatus est, quod in summa rei Xenophon, quamquam utrumque dicere videatur, a Platonis sententia non discedit: „Ut autem Socratis praesensionem futurarum rerum cum arte vaticinandi consentire communi doceret, Xenophon rationem facile perspicuam secutus est, cum scribebat: *τὰ μὲν ποιεῖν τὰ δὲ μὴ ποιεῖν*, quo magis res in veri speciem conficta

1) Will. p. 167 sqq.

2) ib. p. 171.

3) Affert Willingius Hausrathii sententiam (Neutestamentl. Zeitgesch. II 24): „Während Sokrates den Geist der Sinnlichkeit entgegensetzte, faßt er sein moralisches Ich selbst wieder als ein Objektives. Nicht nur daß die Seele ein selbständiges Wesen ist, auch die Begriffe sind ihm etwas für sich, und in letzter Instanz erscheint ihm sogar sein moralisches Bewußtsein als ein selbständiges Subjekt. Sein eigener Genius ist ihm zu Stunden ein anderes Ich. Er objektiviert sich ihn als Dämonium, dessen Offenbarungen er lauscht. In diesen Momenten liegt dann der Übergang zu der Scheidung einer unsichtbaren und realen Welt des Geistes, der Ideen, der Begriffe und einer sichtbaren Welt der Materie, der Erscheinung, der Einzeldinge“.

4) Apol. 31 D; 40 A.

5) Xenoph. Mem. IV 3, 12 et 8, 1.

6) v. Willing p. 132.

animos legentium permoveret. Ab utroque igitur teste quae tradita cognovimus, si subtiliter cogitanto perpenderimus, quin de daemonii sola eadem vi retinendi accipienda sint, nihil opinor reliquum esse dubii“ (Willing l. l. p. 134).

Sequitur ut de hac propria daemonii natura pauca disseram, quatenus ex nostra causa sunt. Nam singulari divinae eius consuetudinis ratione commoti si quaerimus, quomodo ea explicari possit, Socratem ipsum, quo fuerit ingenio et animi virtute in memoriam revocemus. Nam animus humanus ita comparatus ei visus est, ut nihil nisi quod optimum honestumque esset, adpeteret et expediret. Itaque idem animus homini acri cogitatione res perspicere contendenti in cottidianis vitaeque rebus regendis optimus exstat adiutor. Quae cum ita sint, Socrati ut viro, qui data opera agendarum rerum naturam observabat, dum rectam se ingressum esse viam confisus est, altero nec duce nec moderatore opus erat, qui moneret, quid faceret et quid vitaret. Idem vero non omnia, ad quae vitam componeret, hominis animo satis percipi posse conscius fuit; quod maxime accidit, cum de futuris rebus agendis quaestio oritur. Is autem, qui has quidem penitus non perspexit vel mente comprehendit, conturbato animo facile adducitur, ut a recta via discedat, quia nescit quid sit optimum factu. Ita quidem viro alioqui prudentissimo accidere potest, ut eius animus inscius earum rerum, quae nec arte nec sapientia provideri possunt, iam non distinguat, quae bona vel honesta et mala vel turpia sint. Socrates autem in eis, quae animi auxilio non cognovit, „sensu suo obscuro“, quem daemonium vocat, ne in errorem deductus a vero declinaret, se revocatum esse sentit. Itaque Socratis de animo humano sententiam si respicimus, non mirum videtur, quod a daemonio se ad res agendas nunquam incitatum esse confirmavit.

Id igitur certe dubitari non potest, quin Socrates ipse, qui animi magnitudine omnes fere vicit, persaepe animum tamquam superiore quadam vi admoneri arbitratus sit. Discernitur eius natura in duas quasi partes eadem ratione, qua Graeci vetustioris quoque aetatis alteram naturam ab animo ipso internoscere solebant. Nonne, si rem ipsam spectamus, prorsus hoc idem est quod apud heroes Homericos invenimus? In hanc quam dico similitudinem antiquorum quoque nonnulli viri docti animum

adverterunt; cuius rei testis est Maximus Tyrius (diss. XIV 5), cuius sententiam supra commemoravi, ubi de Homeri soliloquiis quaestio erat (v. p. 21). Idem docet Plutarchus quaest. Plat. I p. 999 E: *Πότερον οὖν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ὡς κριτικωτέραν ἢ γονιμωτέραν οὖσαν θεὸν προσεῖπε, καθάπερ Μένανδρος „ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός“ καὶ Ἡράκλειτος „ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων“ ἢ θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον ὡς ἀληθῶς αἴτιον ὑφηγήσατο Σωκράτει τοῦτο τῆς φιλοσοφίας τὸ γένος.* Id. de gen. Socr. p. 580 D: *Ἀτεχνῶς γὰρ οἷον Ὅμηρος Ὀδυσσεῖ πεποίηκε τὴν Ἀθηνᾶν ἐν πάντεσσι πόνοισι παρισταμένην, τοιαύτην ἔοικε τῷ Σωκράτει τοῦ βίου προποδηγὸν ἐξ ἀρχῆς τινα συνάψαι τὸ δαιμόνιον ὄψιν, ἣ „μόνη τοι πρόσθεν ἰοῦσα τίθει φάος“ ἐν πράγμασιν ἀδήλοις καὶ πρὸς ἀνθρωπίνην ἀσυλλογίστοις φρόνησιν [ἐν] οἷς αὐτῷ συνεφθέγγετο πολλάκις τὸ δαιμόνιον ἐπιθειάζον ταῖς αὐτοῦ προαιρέσεσι.*

Monendum quidem est Maximum Tyrium et Plutarchum ex eorum numero esse, qui Socratem genii cuiusdam consuetudine usum esse censebant[1]). Sed habemus alia documenta, quibus eius daemonium Graecis quasi novum inventum nequaquam visum esse manifestatur; nam ipsis aequalibus Socratis id neque inauditum neque maiori admirationi erat. Quod demonstrat Willingius, cuius verba haec sunt (l. l. p. 147): „Quid enim silentium summum quo Aristophanes in Nubibus, poetica illa philosophi accusatione, daemonium praeterit, nonne indicare videtur hunc comicum nihil novi vel miri in eo vidisse? Nam melior ansa, qua prensa illius naturam moresque ineptiis historiolarum fingendis in ridiculum deformaret, ei aliunde dari vix potuit. Cur Aristoteles nunquam diserte de hoc miraculo loquitur, si hoc ei miraculum appellandum visum est? Fuerunt procul dubio iam ante Socratem in communis sensus consuetudine similitudines[2]), unde permulti, quae eius daemonio notio subesset cogitatione intellegebant[3]). An putas istum e nubibus hanc divinitatem procreasse? Immo vero facile concedes, ut Heracliti sententiam: *ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων*[4]), quippe quae bene

1) Zeller II 1 p. 75 adn. 2.

2) cf. Usener, libri de deorum nominibus p. 292 sqq.

3) Plut. quaest. Plat. I p. 999 E.

4) frg. 119 Diels: *ὁ τρόπος ἀνθρώποισι δαίμων ἀγαθός, οἷς δὲ καὶ κακός.*

cum daemonii ratione collationem habeat, nostrae quaestioni adhibeam. Est enim illius opinio, qua neminem contra deum menti insitum quicquam posse dicit, cognatione quadam cum Socrate iuncta, qui se daemonii monitionibus prorsus obnoxium confitetur. Neque vero illa *γίγνεταί τι δαιμόνιον* dictitata per se, opinor, aures Atheniensium offendere potuerunt, quoniam talia ab illius aetatis usu haud ita aliena fuisse videntur, ut verbi causa cognoscere potes ex Eurip. Cycl. v. 411 *ἐσῆλθέ μοί τι θεῖον,* Aristoph. Av. 965 *τὸ θεῖον ἐνεπόδιζέ με,* Arist. *περὶ θαυμασίων ἀκυσμάτων* 99. 838[b] 7: *ἔννοιαν λαβεῖν δαιμονίαν.* Inprimis oratores de daemoniaci fati necessitate loquuntur, qua mortales devinciantur. Nonne Socratem ipsum dicere arbitraris si apud Demosthenem legis: *τούτων μὲν οὐδεὶς εἴσεται τὸν ἑαυτῷ κεχαρισμένον ὑμῶν, οἱ θεοὶ δ' εἴσονται καὶ τὸ δαιμόνιον τὸν μὴ τὰ δίκαια ψηφισάμενον*[1])? Sic ceterorum quoque scriptorum exempla eiusdem modi sescenta colligere non difficile est, quae eas opiniones tunc passim vulgatas fuisse docent“.

Quibus cognitis iam non est, quo impediamur quominus in eodem ordine ponamus Socratis daemonium et ea, quae de altera hominis natura ex Graecorum litteris adhuc cognovimus; tenenda tamen sunt discrimina, quibus philosophum a vulgari opinione discessisse supra cognovimus, quae ut proponeret, ampliore sapientia et diligentiore animi cognitione adductus est.

Haec habui, quae de Socratis daemonio dicerem. Quibus relictis nunc pergamus et alia, quae in eodem litterarum genere exstant testimonia, quaestioni nostrae adhibeamus. Ac primo quidem, quae propriam soliloquii naturam attingit, cogitationis definitio commemoranda est, quam in Platonis scriptis invenimus. Philosophus enim cogitationem designat (Theaet. p. 189 E) *λόγον, ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν*

---

1) de falsa leg. 239; affert Willingius Reiskii adnotationem (vers. p. 159): „Der Schutzengel The Guardian. Oder das eigene Gewissen des Menschen. Eine hübsche und merkwürdige Stelle“. Benslerus ad Isocr. 5, 149 *(νομίζειν αὐτὰ χρὴ μὴ τὸ γῆρας τοὐμὸν εὑρεῖν ἀλλὰ τὸ δαιμόνιον ὑπολαβεῖν)*: „Hier das allgemeine göttliche Walten in seinem Einfluß auf die Menschen, wie es durch die Philosophen jener Zeit, einen Sokrates, einen Plato, einen Xenophon nicht selten bezeichnet wurde. Bei den attischen Rednern ist es daher nichts Ungewöhnliches zu lesen, das Dämonium habe dies oder jenes getan, eingeführt oder verhindert“.

σκοπῇ .... τοῦτο γάρ μοι ἰνδάλλεται διανοουμένη οὐκ ἄλλο τι ἢ διαλέγεσθαι, αὐτὴ ἑαυτὴν ἐρωτῶσα καὶ ἀποκρινομένη καὶ φάσκουσα καὶ οὐ φάσκουσά .... οὐ μέντοι πρὸς ἄλλον οὐδὲ φωνῇ, ἀλλὰ σιγῇ πρὸς αὑτόν. Hic igitur rursus *ψυχή* comparet *διαλεγομένη.* Non inutile erit haec verba exemplis quibusdam illustrare. Apud Platonem Euthyphr. p. 9c Socrates narrat: *τόδε δέ σοῦ ἐνενόησα ἅμα λέγοντος, καὶ πρὸς ἐμαυτὸν σκοπῶ· εἰ ὅτι μάλιστά με Εὐθύφρων διδάξειεν, ὡς οἱ θεοὶ ἅπαντες τὸν τοιοῦτον θάνατον ἡγοῦνται . . ., τί μᾶλλον ἐγὼ μεμάθηκα παρ' Εὐθύφρονος τί ποτ' ἐστὶ τὸ ὅσιόν τε καὶ τὸ ἀνόσιον; θεομισὲς μὲν γὰρ τοῦτο τὸ ἔργον, ὡς ἔοικεν, εἴη ἄν. ἀλλὰ γὰρ τούτῳ ἐφάνη ἄρτι ὡρισμένα τὸ ὅσιον καὶ μή. τὸ γὰρ θεομισὲς ὂν καὶ θεοφιλὲς ἐφάνη.* Quod soliloquium quin ad Platonis definitionem intellegendam aptissimum sit, dubium non erit ei, qui verba allata paulo diligentius examinaverit. Praeiverat autem in hac ratione secum disputandi Epicharmus, quod supra docui p. 46. In Critone autem „Leges“ personatae sunt quae Socratem adloquantur (supra p. 7); sunt enim et hae ibi *δαιμόνιόν τι.* Ceterum etiam aliud documentum in promptu est cuius cognitione plus effici posse opinor. Est enim quod p. 12 commemoravi soliloquium in eis Xenophontis libris, quibus, quamquam de Cyri expeditione inscribuntur, tamen maxima ex parte de scriptoris ipsius persona et rebus gestis agitur. Itaque, ut obiter pauca exponam, non mirum videtur, quod scriptorem ipsum secum deliberantem deprehendimus. Quo accedit quod Xenophon loco sine dubio valde notabili hanc rem narrationi suae inseruit. Nam ducibus interfectis Xenophon ipse exercitui praeesse constituit, Anab. III 1, 13: *εὐθὺς ἐπειδὴ ἀνηγέρθη πρῶτον μὲν ἔννοια αὐτῷ ἐμπίπτει· τί κατάκειμαι; ἡ δὲ νὺξ προβαίνει· ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ εἰκὸς τοὺς πολεμίους ἥξειν. εἰ δὲ γενησόμεθα ἐπὶ βασιλεῖ τί ἐμποδὼν μὴ οὐχὶ πάντα μὲν τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότατα παθόντας [ὑβριζομένους] ἀποθανεῖν; ὅπως δ' ἀμυνούμεθα οὐδεὶς παρασκευάζεται οὐδὲ ἐπιμελεῖται, ἀλλὰ κατακείμεθα ὥσπερ ἐξὸν ἡσυχίαν ἄγειν. ἐγὼ οὖν τὸν ἐκ ποίας πόλεως στρατηγὸν προσδοκῶ ταῦτα πράξειν; ποίαν δ' ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμένω; οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις.*

Huius soliloquii structuram examinanti planissime apparere censeo, quale sit illud colloquium, quod animus instituit quae-

rendo et respondendo secum. Attende, quam nulla vis sit secundae verbi personae, quam ne quis ex verbi *διαλέγεσθαι* vel *διαλογίζεσθαι* notione necessario subaudiendam putaverit cavendum est (cf. supra p. 15).

Denique id praetermittere nolumus, magnam similitudinem inter prosaicum Xenophontis et Menelai poeticum soliloquium, quod scripsit Euripides Hel. 483, intercedere; de huius autem arte docet Leo (l. l. p. 33): „Dies ist von allen wirklichen Monologen der Tragödie der erste und einzige, in dem der Sprechende nach homerischer Art durch Überlegung zum Entschluß gelangt". Quibuscum optime consentit, quod de inductionis formulae natura quae est apud Xenophontem l. l. *ἔννοια αὐτῷ ἐμπίπτει*, dicit Aemilius Buennings[1]); ita autem iudicat ille: „haec .... quidem locutio libera est et ad poesis usum prope admota videtur, attamen aptum habet explicatum: inducitur enim hac formula soliloquium aliquod, totiusque antiquorum sermonis id proprium videtur, ut huiusmodi orationes liberis formulis inducantur: cf. Liv. l. IX 3, 1 „fremere"; Curt. Ruf. III 6, 5 „secreta aestimatione pensabat"; porro Xenoph. Ephes. V 9, 5 *πολλὰ πρὸς ἑαυτὸν ἐλογίζετο*; ibid. II 10, 3 *ἐνενόει δὲ πρὸς ἑαυτὸν πολλάκις*; Evang. Marc. II 6 .... *διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*. Unde hoc elucet: non pro veris orationibus soliloquia habita esse, sed artius ea coniuncta fuisse cum ipsa narratione".

1) Aem. Buennings, Quomodo inducantur orationes directae in antiquorum oratione soluta. Diss. Marp. a. 1903 p. 45.

V.

De nova Atticorum comoedia.

Progredimur nunc ad novam Atticorum comoediam quae aetate proxima est. Quae quamquam propter monumentorum penuriam et depravationem satis est obscurata, nonnullos tamen locos offert, quorum auxilio principalia quidem et certiora clariore luce cognoscere possumus. Ac soliloquia eo tempore, quod inter veterem fabulam tragicam et novam comicam intercedit, ab Euripideo initio egressa choro remoto copiosiora paullatim per totam fabulam propagata esse Leo diligenter exposuit (l. l. p. 38 sqq.). Sed in vario et multiplici eorum usu hoc ipsum notatione dignum videtur, quod elatum illud ad animum loquendi genus, quod in lyricis sive tragicis nobis occurrebat, in his fabulis plane ignotum est; nam ne in seriis quidem partibus invenitur[1]). Contra pervulgatum est, ut adlocutio per secundam verbi personam instituatur. Sed secundae personae usum et vim nondum eo pervenisse monendum est, quo hodierno tempore et in nostra lingua progressa est. Nam ubi praecedit verbum, cui cogitandi notio subest, Graeci illi, de quibus nunc verba facio, non secundam aut promiscue primam et secundam personam adhibent, sed per primam tantummodo loquuntur, id quod ex eis exemplis colligitur, quae ex humiliore et vulgari sermone sumpta supra (p. 12 sq.) aliis adiunximus. Quorum ex numero exempli gratia repetam Men. Epitr. 35[2]), quo loco Davus servus haec verba facit:

---

1) Leo l. l. p. 102.

2) Menandrea iterum edidit. Alfredus Koerte, Lips. a. 1912.

ἐν νυκτὶ βουλὴν δ' ὅπερ ἅπασι γίνεται
διδοὺς ἐμαυτῷ διελογιζόμην · ἐμοὶ
τί παιδοτροφίας καὶ κακῶν; πόθεν δ' ἐγὼ
τοσαῦτ' ἀναλώσω; τί φροντίδων ἐμοί;
τοιουτοσί τις ἦν;[1])

cf. etiam Sam. 29; Peric. 296.

Iam ab hoc initio ad secundi generis soliloquia quae in Menandri fabulis servata sunt nos convertamus. Ex his primo loco proponam Sam. v. 110 sqq., ubi Demeas senex in scaena solus relictus lamentari incipit

ὦ πόλισμα Κεκροπίας χθονός
ὦ ταναὸς αἰθήρ, ὦ . . .

Subito quasi intima animi monitione revocatus subsistit pergitque πρὸς ἑαυτόν, v. 111:

τί Δημέα βοᾷς
τί βοᾷς ἀνόητε; κάτεχε σαυτόν, καρτέρει.
οὐδὲν γὰρ ἀδικεῖ Μοσχίων σε[2]).

Cui hoc loco perlecto non in mentem veniunt Socratis verba, quibus daemonii sui vim illustrat?: καίτοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δή με ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ (Plat. Apol. 40 B) vel ἤδη μοι ἐπιχειροῦντος φροντίσαι . . . . ἠναντιώθη τὸ δαιμόνιον (Xenoph. comm. IV 8, 5). Itaque simili animi commotione factum videtur, ut Demeas revocatus ab opinione animo concepta tamquam superioris animi naturae verbis appelletur: ἀνόητε, κάτεχε σαυτόν, καρτέρει. Commutata mente Demeas ad spectatores deinde animum convertit „und überlegt, indem er sich alles vor Augen stellt, was geschehen ist, was vermutlich geschehen ist, was wahrscheinlich nicht geschehen ist. Die Überlegung führt zum Entschluß, der wirft ihn in Aufregung und Selbstanrede zurück“ (Leo l. l. p. 81), v. 134:

---

1) [cf. nunc S. Sudhaus, Menanderstudien, a. 1914, p. 32. Henricus Otter, scriptor huius libelli, quia pro patria nunc militat, Sudhausii nuper editis opusculis uti non iam potuit, quae Sudhausius auctor ne ipse quidem in vulgus exire vidit; qui antea telo correptus est patriae defensor doctrinae gloriam gloria fortitudinis adaequans. Birtii adnotatio].

2) cf. Men. frg. 447:

ἀπορῶν τι βούλευσαι κατὰ σαυτὸν γενόμενος.
τὸ συμφέρον γὰρ οὐχ ὁρᾶται τῷ βοᾶν.
ἐν τῷ πρὸς αὑτὸν δ' ἀναλογισμῷ φαίνεται.

Δημέα νῦν ἄνδρα χρή
εἶναι σ᾽· ἐπιλαθοῦ τοῦ πόθου, πέπαυσ᾽ ἐρῶν,
καὶ τἀτύχημα μὲν τὸ γεγονὸς κρύφθ᾽ ὅσον
ἔνεστι διὰ τὸν υἱόν. ἐκ τῆς δ᾽ οἰκίας
ἐπὶ τὴν κεφαλὴν εἰς κόρακας ὦσον τὴν κακὴν
Σαμίαν. ἔχεις δὲ πρόφασιν ὅτι τὸ παιδίον
ἀνείλετ᾽· ἐμφανίσῃς γὰρ ἄλλο μηδὲ ἕν.
δακὼν δ᾽ ἀνάσχου, καρτέρησον εὐγενῶς.

Quae postrema haud male conspirare apparet cum Euripidis ratione, qua Medeam in soliloquii fine se ipsam adloquentem induxit (supra p. 40sq.). Neque habeo quod iam de hoc soliloquio moneam, nisi quod Demeae quoque verba superiori animi naturae attribuenda sunt.

Proximum illud est soliloquium, quod Parmeno servus secum instituit in eadem fabula Menandrea, Sam. 296:

νὴ τὸν Δία τὸν μέγιστον ἀνόητόν τε καὶ
εὐκαταφρόνητον ἔργον εἰμ᾽ εἰργασμένος.
οὐδὲν ἀδικῶν ἔδεισα καὶ τὸν δεσπότην
ἔφυγον. τί δ᾽ ἦν τούτου πεποηκὼς ἄξιον;
καθ᾽ ἓν γὰρ οὑτωσὶ σαφῶς σκεψώμεθα.
ὁ τρόφιμος ἐξήμαρτεν εἰς ἐλευθέραν
κόρην. ἀδικεῖ δήπουθεν οὐδὲν Παρμένων.
ἐκύησεν αὕτη· Παρμένων οὐκ αἴτιος.
τὸ παιδάριον εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν
τὴν ἡμετέραν· ἤνεγκ᾽ ἐκεῖνος, οὐκ ἐγώ.
τῶν ἔνδον ὡμολόγηκε τοῦτό τις πα[ρών.
τί Παρμένων ἐνταῦθα πεπόηκεν κακόν;
οὐδέν. τί οὖν οὕτως ἔφυγες ἀβέλτερε
καὶ] δ[ειλότατ]ε; γελοῖον. ἠπείλησέ μοι
στίξειν [ἵνα] μάθῃ [πᾶν]· διαφέρει δ᾽ οὐδὲ γρῦ
ἀδίκως [παθεῖν] τοῦτ᾽ ἢ δικαίως. ἔστι δέ
πανταχόθεν οὐκ ἀστεῖον.

De huius soliloquii ratione disputat Sudhaus, Mus. Rhen. 66 p. 491, cuius haec verba afferam: „In dem naiven dialogischen Selbstgespräch steht gewissermaßen der zur Besinnung gekommene Parmenon dem Ausreißer Parmenon gegenüber. Der kluge Parmenon fordert von dem dummen Parmenon Rechen-

schaft wegen des sinnlosen Fortlaufens. Es scheint mir wahrscheinlich, daß eine von den Antworten, die der kluge Parmenon seinem schlechten Selbst gibt, *ἀμαθὴς εἶ* war (vgl. 308 *ἀβέλτερε*), und daß das Folgende die lose angeknüpfte Begründung gibt" sqq. Itaque in hoc soliloquio, quod quasi colloquium Parmeno servus secum habet, ea verba, quae homines per secundam personam ad se ipsos faciunt, s u p e r i o r i a n i m i n a t u r a e attribuenda esse aliquanto latius patet.

Iam vero quaerimus, quo nomine haec superior animi vis designata sit in Menandri fabulis. Cuius rei feliciter accidit ut luculentum supersit testimonium in Epitrepontibus, ubi Charisius iuvenis solus secum loquitur, v. 487:

> *ἐγώ τις ἀναμάρτητος, εἰς δόξαν βλέπων*
> *καὶ τὸ καλὸν ὅ τί ποτ' ἐστὶ καὶ ταἰσχρὸν σκοπῶν*
> *ἀκέραιος, ἀνεπίπληκτος αὐτὸς τῷ βίῳ —*
> *εὖ μοι κέχρηται καὶ προσηκόντως πάνυ*
> *τὸ δ α ι μ ό ν ι ο ν, ἐνταῦθ' ἔδειξ' · ἄνθρωπος ὤν*
> *ὦ τρισκακόδαιμον μέγαλα φυσᾷς καὶ λαλεῖς;*
> *ἀκούσιον γυναικὸς ἀτύχημ' οὐ φέρεις;*
> *αὐτὸν δὲ δείξω σ' εἰς ὅμοι' ἐπταικότα.*
> *καὶ χρήσετ' αὐτή σοι τότ' ἠπίως, σὺ δέ*
> *ταύτην ἀτιμάζεις. ἐπιδειχθήσει θ' ἅμα*
> *ἀτυχὴς γεγονὼς καὶ σκαιὸς ἀγνώμων τ' ἀνήρ.*
> *ὅμοιά γ' εἶπεν οἷς σὺ διενόου τότε*
> *πρὸς τὸν πατέρα · κοινωνὸς ἥκειν τοῦ βίου*
> *παρ' ἄνδρα κ]οὐ δεῖν τἀτύχημ' αὐτὴν φυγεῖν*
> *τὸ συμβεβηκός. σὺ δέ τις ὑψηλὸς σφόδρα.*

Quo de soliloquio explicatius agam necesse est, cum Leo sententiae eorum, qui daemonium quod hic memoratur ad Charisium loqui volunt[1]), adversatus verba *τὸ δαιμόνιον, ἐνταῦθ' ἔδειξ' · ἄνθρωπος ὤν* (v. 491) alio modo distinguenda esse dixerit (l. l. p. 101 sq.). Eius haec sunt argumenta (l. l. p. 102 adn. 1): „erstens läßt sich *ἔδειξ' ἄνθρωπος ὤν* nicht von einander trennen, zweitens führt *ἔδειξε* die direkte Rede nicht mit dem richtigen Ausdruck ein(!), drittens ist *ἄνθρωπος ὤν* so nicht richtig bezogen,

1) A. Koerte, Arch. f. Papyrusf. IV 509; v. Arnim, Ztschr. f. oestr. Gymn. 1907 p. 1070, 1080; van Leeuwen ed. alt. a. 1908.

denn die großen Worte stehen im Gegensatz zu seinem schlechten Handeln; erst dies beweist ihm, daß er ein gewöhnlicher Mensch ist". Quibus rationibus nisus v. 440 sqq. interpretatus est hoc modo (v. l. l. p. 101): „mit mir ist das *δαιμόνιον* (der *μυσταγωγὸς τοῦ βίου* frg. 550) wohl und nach Verdienst verfahren (indem es mich strafte): hier hab' ich gezeigt, daß ich ein Mensch wie andere bin". Haec autem sententia et argumenta illa, quae ad sententiam suam confirmandam vir doctissimus protulit, Koertio quidem probari non videntur, qui ne in altera quidem Menandri editione verborum contextum mutavit. Et mihi quoque Leonis argumenta non mediocriter in dubium venisse fateor ita, ut cum Koertio facere malim. Quod paucis exponam.

Primum quidem eius argumentum quo reiciam non habeo nisi forte premamus, quod vocabula duo *ἔδειξ' ἄνθρωπος* intercisione metrica disiuncta videntur. Magis autem suspecta videtur alterius argumenti fides. Errorem vitasset et verum vidisset Leo de *δεῖξαι* verbi natura et usurpatione, si quae Aemilius Buennings et Rudolfus Rehme de orationis directae et indirectae inductione disputaverunt[1]) nota habuisset. Primum adferre iuvat ea, quae observata sunt a Valckenaerio qui dicit ad Eurip. Phoen. 533: „saepe *δεῖξαι* significat animi sententiam verbis declarare". In hoc enim Euripidis versu codd. habent *ἔχει τι λέξαι*, Stob. flor. 115, 1 contra: *ἔχει τι δεῖξαι*. Cf. etiam Hymn. ad. Cer. 475: codd. *εἶπε Τριπτολέμῳ*, contra Pausanias *δεῖξεν Τριπτολέμῳ*. Addam quod pro docendo usurpatum est *δεῖξαι* apud Homerum *κ* 303: *φύσιν αὐτοῦ ἔδειξε*. Unde apparet verbi *δεῖξαι* vim a verborum dicendi notione non ita alienam esse, neque igitur offendere posse opinor, quod ad orationem rectam inducendam a Menandro adhibetur. Quin etiam Buennings et Rehme viri docti, quos dixi, plura eiusmodi collegerunt. Nam eadem ratione apud Homerum *K* 476 oratio inducitur:

τὸν δ' Ὀδυσεὺς προπάροιθεν ἰδὼν Διομήδεϊ δεῖξεν·
„οὗτός τοι, Διόμηδες, ἀνήρ, οὗτοι δέ τοι ἵπποι, κ. τ. ἑ.[2]).

---

1) Aemilius Buennings, Quomodo inducantur orationes directae in antiquorum oratione soluta, Diss. Marp. a. 1903. — R. Rehme, De Graecorum oratione obliqua. Diss. Marp. a. 1906.

2) v. Buennings l. l. p. 16.

Etiam locus quidam Xenophonteus conferri potest, quo *ἐπιδείκνυμι* verbum orationem obliquam, quae transit in directam, inducit Anab. I 3, 16: *μετὰ τοῦτον ἄλλος ἀνέστη, ἐπιδεικνὺς μὲν τὴν εὐήθειαν τοῦ τὰ πλοῖα αἰτεῖν κελεύοντος, ὥσπερ πάλιν τὸν στόλον Κύρου ποιουμένου, ἐπιδεικνὺς δέ, ὡς εὔηθες εἴη ἡγεμόνα αἰτεῖν παρὰ τούτου, ᾧ λυμαινόμεθα τὴν πρᾶξιν. εἰ δὲ καὶ τῷ ἡγεμόνι πιστεύσομεν, ὃν ἂν Κῦρος διδῷ, τί κωλύει καὶ τὰ ἄκρα ἡμῖν κελεύειν Κῦρον προκαταλαβεῖν, κ. τ. ἑ.*[1]). Adiciam alios, quibus *δείκνυμι* pro verbo aliquo dicendi usurpatum orationem obliquam inducit; sunt enim Pind. Ol. XIII 75: *δεῖξεν ὡς ....*[2]), Aesch. Prom. 623 *δεῖξον τίς ἔσται τῇ ταλαιπώρῳ χρόνος*[3]), Ev. Matth. XVI 21: *ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ὅτι δεῖ αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα ἀπελθεῖν.* Denique, quod ad daemonium pertinet, conferendum est Dionys. Halic. I 55: *τὸ δαιμόνιον πολλαχῶς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐνδεικνύμενον.*

His expeditis, ut de tertio Leonis argumento dicam quod sentio, non dubito, quin verba *ἄνθρωπος ὤν* cum eis, quae sequuntur, apte coniungantur. Ad quam sententiam defendendam alia exempla profero, quibus sensus et usus verborum *ἄνθρωπος ὤν* optime illustratur. Conferas enim Hippothoontis poetae versum (frg. 1; trag. frg. p. 827):

ἄνθρωπος ὤν, μέμνησο τῆς κοινῆς τυχῆς.

Cf. Men. mon. 8 (ed. Meinek.), ubi idem hic versus legitur. Quibus subveniunt Menandri verba, quae copiosius in simili sententia dicta sunt, Phasm. 31:

αἰσθοῦ σαυτὸν ὄντα [Φειδία
ἄνθρωπον, ἄνθρωπον δὲ καὶ [τὸν ἄθλιον
ἵνα μὴ ἐπιθυμῇς τῶν ὑπὲρ σ[ὲ πραγμάτων.

Adde his trag. frg. adesp. 308:

ἄνθρωπον ὄντα δεῖ φρονεῖν ἀνθρώπινα.

Itaque simili ratione ut unam sententiam efficiant, coniungenda esse mihi persuasi haec Charisii verba quae sunt: *ἄνθρωπος*

---

1) v. Rehme l. l. p. 67.
2) ib. p. 27.
3) ib. p. 31.
4) ib. p. 75.

ὢν .... μέγαλα φυσᾷς καὶ λαλεῖς; Sententia autem ipsa ex tali opinione deducenda est, qualem legimus apud Diodorum XXVII 9 expressam: *ἐφορᾷ γὰρ ὡς ἔοικε τὸν ἀνθρώπινον βίον νέμεσίς τις θεοῦ, ἣ τοὺς ὑπὲρ ἀνθρώπων φρονοῦντας ταχὺ τῆς ἰδίας ἀσεβείας ὑπομιμνήσκει.*

Habes rationes, quibus ut a sententia discedam Leonis adductus sum. Quas si rectas esse concedimus, id, quod demonstrare conatus est vir doctus, iam satis labefactatum videtur. Sed etiam aliud argumentum nunc proferre possum, quo sententiam nostram confirmem. In lucem enim nuperrime venerunt nonnulli Menandri versus, quos Charisii huius soliloquii conclusionem efficere Koertius suspicatus est (v. Ox. Papyr. vol. X p. 88 sqq.). Exhibeam hoc loco versus, qui leguntur l. l. p. 91:

[. . . . .]ν
[. . . . . σ]υν ταυτη. σοφῶς
[. . . . .]ε μέτεισι διὰ τέλους
[. . . . . . . των δαιμ]ονων τις. ο δὲ πατὴρ
[. .]. . . εστατ' αυτης χρήσεται. τί δέ μοι πατρός
[ερ]ω διαρρήδην: εμοὶ σὺ Σμικρίνη
[μη] πάρεχε πράγματ' οὐκ απολείπει μ[ε] ἡ γυνή ·
[τ]ι ουν ταράττεις καὶ βιάζῃ Παμφίλην;[1])

Hic igitur Charisium per primam verbi personam secum loquentem intellegimus, quod idem factum est in initio huius soliloquii. Itaque ea verba, quae secunda verbi persona pronuntiantur, non nisi ipsius daemonii orationem ad Charisium derectam reddere videntur. Ceterum illud non tacebo, quod etiam Cappsius[2]), quamquam in interpungendo versu 491 Leonis rationem secutus est, tamen in adnotatione (v. 698) explicat: „He conceives that *τὸ δαιμόνιον* speaks to him“.

Iam vero huius daemonii natura ipsa in quaestionem venit. Ac primo quidem non obliviscendum est, quod ex Menandri verbis *καὶ τὸ καλὸν ὅ τί ποτ' ἐστὶ καὶ ταἰσχρὸν σκοπῶν* (v. 488) colligitur Charisium iuvenem ipsum philosophiae morali excolendum se dedidisse, id quod ab huius aetatis iuvenum consuetudine alienum non esse constat. Itaque neutiquam mirandum est,

---

1) [Haec nunc auctis supplementis fabulae interposuit Sudhaus, Menandri reliquiae, 2. edit., a. 1914, p. 26].

2) Capps, Four plays of Menander, a. 1910.

quod valere in animo daemonii vim Charisius agnovit. Nam in scholis philosophorum, qui a Socrate profecti sunt, de daemonii vi et natura multa etiam tum disputata esse omnes sciunt. Socratis quidem divina natura non dubium est quin alia fuerit atque ea, quam Charisius daemonii nomine significat. Nam illam non nisi de rebus futuris idque deterrendo solum admonuisse cognovimus (supra p. 49 sq.), Charisii autem daemonium non modo de futuris, sed etiam de rebus gestis quasi iudicem exstitisse apparet. Quapropter vim daemoniacam Menandri aetate pro c o n s c i e n t i a e natura usurpatam esse concludere licet.

Hanc autem notionis mutationem, ut paucis rem explicem, iam post ipsum Socratem et Platonem apud Xenophontem initium cepisse monendum est. Xenophon enim, ut Socratis daemonium ad communem intellegentiam et popularem divinationem accommodaret, Socratem non modo deterritum, sed etiam incitatum esse a voce divina memoriae prodidit (supra l. l.). Sequitur Cynicorum sententia, de qua dicit Willingius (l. l. p. 136): „Tota autem haec daemonii interpretatio affinitate quadam officii conscientiaeque naturam attingit, cuius monitu Socrates ad id propensior sit quod deceat". Similis sententia in Alcibiade priore Pseudoplatonico invenitur, ubi „daemonium prudentia et ratione contineri videtur" (Willing l. l. p. 146). Eadem fere est omnino in vetere Academia, quae Platonem excepit, nam „veteris Academiae philosopho cuidam daemonium visum est mente cuiusque rationali contineri, quae casta atque integra extra hominem permaneret neque unquam corporis impeditione curaque perturbaretur. Ut autem spiritus divinus non unius sed plurium est, ita ne negat quidem semper quotienscumque evenit" (Willing p. 150).

Horum ad sententias accedit disciplina Stoicorum, quibus digna res visa est, quam diligentius persequerentur. Nam ex populi opinione deducta eis erat sententia, quam clarissimis verbis expressit Menander (frg. 550):

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
ἀγαθός[1]).

---

1) cf. Plat. Tim. 90 a.

Legitur enim apud Epict. diss. I 14, 12, quod Iuppiter *παρέστησεν ἐπίτροπον ἑκάστῳ τὸν ἑκάστου δαίμονα καὶ παρέδωκεν φυλλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ.* Conferendum etiam est Marc. Aurel. V 27: *ὁ δαίμων, ὃν ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν.*

Qui daemon quomodo ad animi humani naturam referatur si quaerimus, primo loco audiendus est H. Usener, qui in libro de deorum nominibus scripto haec dicit: „In der Regel ist er als Schutzgeist, als das bessere Selbst des Menschen gedacht" (p. 295). Aber es kann auch ein böser, schadenfroher Dämon sein, dem der Mensch verfallen ist" (p. 296). Nam bonum et malum deum hominibus additum esse iam ab Euclide, qui Socratis discipulus erat, apud Censor. 3 docemur. Hunc autem deum etiam commercium cum hominibus iniisse et loquentem fictum esse satis constat teste Plut. Brut. § 36: *ὡς οὖν ἔμελλεν* (sc. Brutus) *ἐξ Ἀσίας διαβιβάζειν τὸ στράτευμα, νὺξ μὲν ἦν βαθυτάτη, φῶς δ' εἶχεν οὐ πάνυ λαμπρὸν ἡ σκηνή, πᾶν δὲ τὸ στρατόπεδον σιωπὴ κατεῖχεν. ὁ δὲ συλλογιζόμενός τι καὶ σκοπῶν πρὸς ἑαυτὸν ἔδοξεν αἰσθέσθαι τινὸς εἰσιόντος. ἀποβλέψας δὲ πρὸς τὴν εἴσοδον ὁρᾷ δεινὴν καὶ ἀλλόκοτον ὄψιν ἐκφύλου σώματος καὶ φοβεροῦ, σιωπῇ παρεστῶτος αὐτῷ. τολμήσας δ' ἐρέσθαι „τίς ποτ' ὢν" εἶπεν „ἀνθρώπων ἢ θεῶν ἢ τί βουλόμενος ἥκεις ὡς ἡμᾶς"; ἀποφθέγγεται δ' αὐτῷ τὸ φάσμα: „ὁ σὸς ὦ Βροῦτε δαίμων κακός· ὄψει δέ με περὶ Φιλίππους"* [1]). Quae maioris etiam ponderis nobis sunt propterea, quod observatis verbis *συλλογιζόμενός τι καὶ σκοπῶν πρὸς ἑαυτόν* intellegi potest, eiusmodi animi affectio quo vinculo cum secum deliberandi consuetudine contineatur. Nam hoc idem est atque quod in Homeri carminibus animadvertitur, ubi Priamus *δαιμονίην ἀγγελίην* ipsam oculis vidit

---

1) Comparare liceat Goethe. Faust I v. 3776, de quo loco docet K. Fischer („Goethes Faust" III p. 585): „Hier wird Gretchen von den äußersten Gewissensqualen bestürmt und niedergeworfen, ihr eigenes böses Gewissen ist der böse Geist, der ihr vorhält und vorwirft, was sie war und nunmehr geworden ist und zwar geworden ist nur durch eigene Schuld .... Ihr eigenes frommes, kirchlich gebundenes Gewissen ist der unbarmherzige Richter, der sie verurteilt, der böse Geist, der sie verdammt und welchen der Dichter, um ihn dramatisch darzustellen, als eine besondere Gestalt personifiziert hat, die hinter Gretchen steht, sodaß sie zwar seine Stimme hört, ihn aber nicht sieht".

(*Ω* 160 sqq.) et Achilles *ἧος ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν* Minervae vocem percepit (*A* 188 sqq.); cf. supra p. 18 sq.

Sed ad daemonium revertendum est. Daemonii enim non secus ac daemonis nomine „sacrum intra nos spiritum" (Sen.). Stoici designabant. Itaque suo iure Leo[1]) comparavit Charisii daemonium cum daemone, qui *ἅπαντι ἀνδρὶ συμπαρίσταται*. Quae cum ratio sit huius divinae naturae, nihil obstat quominus Charisii daemonium eodem modo quo daemonem illum in Bruti vita Plutarchea etiam loquens inductum esse statuamus. Eaque sententia quodam modo verbis Epicteti probatur dicentis (III 22, 53): *ἀνάκρινον τὸ δαιμόνιον*. Nam interroganti certe respondebit.

Restat ut moneam Stoicos praeter nuncupandi rationem neque inter daemonium et *ἡγεμονικόν* neque inter *ψυχήν* et daemonem quicquam interesse revera statuisse. Quod ut illustrem, verba Rohdii exscribere liceat, qui docet (Psyche II 316, 1): „Den Stoikern wird also dieser Volksglaube als Analogon vorgeschwebt haben, wenn sie von dem *παρ' ἑκάστῳ δαίμων* als etwas vom Menschen und seinem *ἡγεμονικόν* noch Verschiedenem reden. Aber sie bedienen sich dieser Vorstellung doch nur als eines Bildes. Eigentlich soll ihnen der *δαίμων* des Einzelnen bezeichnen dessen „urbildliche, ideale Persönlichkeit (so richtig Bonhöffer a. a. O. 84), das, was der Mensch als intelligibler Charakter ist, als empirischer erst werden soll (*γένοι οἷος ἐσσί —*). So ist der *δαίμων* verschieden von der *ψυχή (διάνοια)* und doch wieder mit ihr identisch. Es wird ein halb allegorisches Spiel mit dem *δαίμων* als Spezialgenius und zugleich als der Krone der menschlichen Person getrieben, wie vorübergehend schon bei Plato ähnlich Tim. 90 A. Schließlich ist (da die Stoa einen eigenen von außen um den Menschen waltenden Schutzdämon im Ernst nicht statuieren wollte) das *ἡγεμονικόν* von dem *δαίμων* nicht verschieden, wie denn bei M. Aurel 5, 27 das *δαίμων* mit dem *ἀπόσπασμα Διός*, dem *ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος* völlig zusammenfällt (vgl. 3, 3 extr. — 2, 13; 17 — 3, 7 *τὸν ἑαυτοῦ νοῦν καὶ δαίμονα*)". Itaque variis his nominibus hoc unum tantum significari videmus, quod nos ipsi alteram vel superiorem hominis naturam designavimus. Quod optime illustratur eis verbis,

---

1) l. l. p. 101.

quae exstant apud Galenum de plac. Hipp. et Plut. V 215 K: *οὕτω δὲ καὶ τὸ ἐγὼ λέγομεν κατὰ τοῦτο δεικνύοντες* (sc. *τὸ ἡγεμονικόν*)[1]. Quibus cognitis conferre inter se non inutile erit verba custodis illius Sophoclei (Ant. 228 sq.), qui dicit

ψυχὴ γὰρ ηὔδα πολλά μοι μυθουμένη·
„τάλας, τί χωρεῖς οἷ μολὼν δώσεις δίκην“ κ. τ. λ.

et Charisii haec verba (Epitr. 491)

τὸ δαιμόνιον, ἐνταῦθ' ἔδειξ'· „ἄνθρωπος ὤν,
ὦ τρισκακόδαιμον, μέγαλα φυσᾷς καὶ λαλεῖς;

Euripides autem *τὸν νοῦν* quasi *χρηστὸν διδάσκαλον* appellavit (Tro. 647), de daemonii natura et vi iudicat Plutarchus de gen. Socr. 589 E: *ὡς κρείττονα δήπουθεν ἔχοντες ἐν αὑτῷ μυρίων διδασκάλων καὶ παιδαγογῶν ἡγεμόνα πρὸς τὸν βίον.*

1) cf. Schmekel, Die hellenist.-röm. Philosophie p. 216: „So begründen sie, was bisher nie geschehen war, die Einheit der Persönlichkeit und des Ichs“.

VI.

De Romanorum fabula palliata.

Quoniam soliloquia novae, quae vocatur, comoediae Graecorum cognovimus, nunc quae de Romanorum fabulis comicis dicenda sunt illis adiungam. Nam Romani, qui omnino in arte scaenica exercenda studiosissimi Graecos imitabantur, exempla eorum utique secuti sunt in fabulis palliatis componendis. Quapropter hac quoque in re, quam agitamus, eos easdem fere rationes secutos esse, quas Graeci praeceperint, consentaneum videtur. Ita rem se habere primum quidem ex eo apparet, quod haud aliter atque in illis neque in Plauti neque in Terenti fabulis adlocutionem ad animum ipsum factam reperire possumus[1]). Sed qui ibi ad se verba faciunt non nisi nomine pronuntiato vel secunda verbi persona se adloquuntur. Attamen a Graecis, qui nullo discrimine mulieres (Eurip. Med. 400 sqq. Hec. 736 sqq.), senes (Men. Sam. 111), iuvenes (Men. Epitr. 492), servos (Men. Sam. 296) nomine se appellantes inducunt, eo differunt Romani, quod servulos tantum homines et subinde iuvenes hoc modo secum loqui volebant. In Plauti fabulis sunt servi: Asin. 249, Epid. 81; 158; 192, Most. 1068, Merc. 111, Pseud. 394; 452, Rud. 926, Stich. 274, Trin. 717; 1008; iuvenes: Bacch. 385, Cist. 653, Menaech. 547. Accedunt vero parasiti: Capt. 790, Stich. 398; 632. Verba autem quae senes faciunt Aul. 379,

---

1) cf. Leo l. l. p. 102: „Nur einmal, Capt. 636, die komische Isolierung des Herzens wie bei Anaxandrides:

quin quiescis? i dierectum, cor meum, ac suspende te;
tu sussultas, ego miser vix asto prae formidine.

Merc. 550, non ad sui adlocutionem pertinent. In fabulis Terentianis sunt servi: Andr. 206, Heaut. tim. 531, Phorm. 179, Adelph. 763; iuvenes: Phorm. 465. Qua in re id maxime notatione dignum videtur, quod iidem adulescentes et servi in fabulis Plautinis et Terentianis sunt, qui inprimis etiam philosophorum sententias profiteri solent. De qua quaestione nonnulla contulit F. Ranke, Periplecomenos, diss. Marp. a. 1900 p. 44, 45sqq., ubi de Peripateticorum Epicureorum Cynicorum sententiis, quae in fabulis comicis inveniuntur, copiose actum est. Itaque in memoriam revocandum est hoc loco, quod supra p. 45 de cognatione quadam, quae intercedit inter sapientiae studium et soliloquii usum, ex Antisthene audivimus.

Ceterum quod ad sententiarum nec minus ad sermonis naturam pertinet, huius soliloquii usum ad certas quasdam formas condicionesque deductum esse Leo demonstravit[1]). Nam, homines ut paucis rem repetam, aut in scaenam progressi aut in scaena soli relicti ad deliberandum agendum properandum se incitant ipsi; bis in medio diverbio se monent servi his verbis: *itur ad te, Pseudole,* sqq. (Pseud. 452), *Syre, tibi timui male* (Heaut. tim. 531). In Plauti autem fabulis, quippe quae humiliorem et magis popularem stilum exerceant, etiam ampliora exempla prostant. Itaque breviores apud Plautum adlocutiones omittam; ea diligentius inspicienda sunt exempla, quibus qui in scaena agunt uberiore sermone res deliberant et consilia capiunt. Quae qualia sint velim intellegas soliloquio inspecto, quo Epidicus servus in fabula eiusdem nominis solus adstans dicit, v. 81 sqq.:

Illic hinc abiit: solus nunc es. quo in loco haec res sit vides,
Epidice: nisi quid tibi in tete auxilist absumptus es.
tantae in te impendent ruinae, nisi suffulcis firmiter
non potes subsistere: itaque in te irruont montes mali;
neque ego nunc quomodo
me expeditum ex impedito faciam consilium placet.
Ego miser perpuli
meis dolis senem, ut censeret suam esse emere filiam.

---

1) l. l. p. 103.

Is suo filio
fidicinam emit quam ipse amat, quam abiens mandavit mihi.
Si sibi nunc alteram
ab legione abduxit animi causa, corium perdidi.
Nam ubi senex senserit
sibi data esse verba, virgis dorsum dispoliet meum.
At enim tu praecave:
At enim, bat enim: nihil est istuc, plane hoc corruptumst caput.
Nequam homo's Epidice!
qui lubidost male loqui? quia tu tete deseris.
Quid faciam? men rogas?
tuquidem ante hac aliis solebas dare consilia mutua.
aliquid aliqua reperiundumst. sed ego cesso ire obviam
adulescenti, ut quid negoti sit sciam: atque ipse illic est sqq.

De priore huius sermonis parte nihil dicendum est, nisi quod similia leguntur Pseud. 384, Trin. 711. Alteram autem partem (v. 94 sqq.) qui accuratius consideraverit, eum facile concessurum esse puto non ita soliloquii quam colloquii nomine significari posse. Nam loquendi ratio, qua Epidicus utitur, non dissidet a Parmenonis illius Menandrei colloquio (Sam. 296) quod tamquam cum altero quodam, qui sermonis est socius, habuit servus. Cognata etiam haec sunt: in Menandri fabula deliberationis initium fit verbis: *καθ' ἓν γὰρ οὑτωσὶ σαφῶς σκεψώμεθα* (Sam. 300), Plauti autem personae pro rebus et consuetudine Romanorum: *iam senatum convocabo in corde consiliarium* (Epid. 159; cf. Most. 687, Mil. 594, Aul. 550).

Hanc quidem soliloquii usurpationem in Terenti fabulis indagare non possumus. In his praeter nonnullos versus, quibus breviter se admonent servi, unum tantum secundi generis soliloquium exstat, quod habet Antipho iuvenis Phorm. 465 sqq.:

enim vero, Antipho, multimodo cum istoc animo es vituperandus
itane te hinc abisse et vitam tuam tutandam aliis dedisse.
alios tuam rem credidisti magis quam tete animum advorsuros;
nam utut erant alia, illi certe, quae nunc tibi domist consuleres
nequid propter tuam fidem decepta poteretur mali:
cui nunc miserae spes opesque sunt in te uno omnes sitae.

Neque Terentio placuisse videtur more Plautino prima et secunda verbi persona promiscue uti, sed qui apud Terentium

alterius verbis secum ipsi reputant alterum quendam distincte loquentem faciunt additis verbis: *atqui aliquis dicat* (Andr. 641), *roget quis: quid rei tibi cum illa* (Eun. 512). Ita res agitur in politiore sermone. Ab hac autem, quam Terentius offert, deliberandi ratione ea soliloquii forma ipsa prodiisse videtur, quam in Epidici Plautini sermone antea animadvertimus. Nimirum vegeta, qua utitur, et vehementi pronuntiatione cogitationum et verborum efficitur, ut locutiones quae ampliorem orationem reddant, a sermone secludat. Unde quasi colloquium nascitur. Similiter res se habet in vero colloquio quodam ab Andocide oratore narrato, quod cum maxime idoneum videatur ad sententiam nostram demonstrandam, hoc loco afferam: Legimus *περὶ μυστ.* § 101: *ἀνέκρινε δ' ἄν με · τίς ἄλλος ἢ Χαρικλῆς ἐρωτῶν · Εἰπέ μοι, ὦ 'Ανδοκίδη, ἦλθες εἰς Δεκέλειαν καὶ ἐπετείχισας τῇ πατρίδι τῇ σεαυτοῦ; Οὐκ ἔγωγε · Τί δέ; ἔτεμες τὴν χώραν, καὶ ἐλῄσω ἢ κατὰ γῆν ἢ κατὰ θάλατταν τοὺς πολίτας τοὺς σεαυτοῦ; Οὐ δῆτα. Οὐδ' ἐναυμάχησας ἐναντία τῇ πόλει, οὐδὲ συγκατέσκαψας τὰ τείχη, οὐδὲ συγκατέλυσας τὸν δῆμον, οὐδὲ βίᾳ κατῆλθες εἰς τὴν πόλιν; Οὐδὲ τούτων πεποίηκα οὐδέν κ. τ. ἑ.* Neque aliter factum est in Eunucho Terenti fabula, ubi Gnatho parasitus colloquium cum aliquo habitum sibi narrat (237 sqq.):

„quid istuc, inquam, ornatist?“ „„quoniam miser quod habui perdidi, em
quo redactus sum. omnes noti me atque amici deserunt““.
hic ego illum contempsi prae me. „quid homo, inquam, ignavissime?
itan parasti te, ut spes nulla relicua in te sit tibi?
simul cum re consilium amisti? viden me ex eodem ortum loco?
qui color nitor vestitus, quae habitudo est corporis!
omnia habeo neque quicquam habeo: nil cum est, nil defit tamen“.
„„at ego infelix neque ridiculus esse neque plagas pati
possum““. „quid tu his rebus credis fieri? tota erras via“ sqq.

Itaque secundi generis soliloquia de quibus exposuimus, qui recte perpenderit, ad Birtii sententiam accedet, qui ex scaenica

actione ea nata esse iudicavit Philol. 63 p. 437 adn. 5, ubi dicit: „Das *tu astas solus, Pseudole,* eqs. am Anfang eines Selbstgesprächs Plaut. Pseud. 394 erklärt sich aus bloßer dramatischer Belebung. Der Sklave hatte mit Calidoros soeben lebhaft gesprochen; Calidorus tritt ab; der Sklave aber setzt in Erregung das Gespräch fort und übernimmt nun selbst die Anrede an sich. Das wirkt drollig. v. 404 wird dann planlos vom Du zum Ich übergegangen". Conferas etiam Ter. Andr. 206.

Haec igitur cum ratio sit soliloquiorum, quae ad usum scaenae comicae facta sunt, in altera quidem, quam dicimus, natura hominis cognoscenda nobis ea vix prodesse possunt. Iam vero etiam alia habemus exempla, quae aliquo modo prominent quaeque ut observarem, Birtii praeceptoris monitione ductus sum. Primum Stasimi servi admirabile afferam soliloquium; qui in scaenam progressus ebrius secum agit, Trin. 1008:

Stasime fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum
ne subito metus exoriatur scapulis stultitia tua.
Adde gradum adpropera: iam dudum factum est quom abisti domo.
Cave sis tibi ne bubuli in te cottabi crebri crepent
si aberis ab eri quaestione: ne destiteris currere.
Ecce hominem te, Stasime, nihili: satin in thermipolio
condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?
Recipe te et recurre petere re recenti".

Charmides autem iuvenis ex abdito loco haec iussa, quae Stasimus ad se derigit, audit nec tamen ea verba facit, quae exspectabamus: *quid illic secum solus loquitur?* quae verba in fabulis facere solent ii, qui hominem secum loquentem observant (cf. Pseud. 641, Most. 512), sed potius ita iudicat: *Huic quisquis est, gurguliost exercitor: is hominem cursuram docet* (v. 1016). Itaque si mittimus iocosam huius dicti naturam, in hoc secundi generis soliloquio sine ulla dubitatione vim quandam superiorem cogitari et repraesentari elucet, quae hominem vel inferiorem eius animi partem quasi „exercitor" admonet; gurgulionis nempe illa verba sunt: *Stasime fac te propere* eqs.

Idem autem planissime apparet etiam ex verbis Lysitelis iuvenis, quibus ipse in Trinummo fabula deliberationis suae naturam illustrat, Trin. 223:

> multas res simitu in meo corde vorso,
> multum in cogitando dolorem indipiscor.
> egomet me coquo et macero et defetigo:
> magister mihi exercitor animus nunc est.

Ecce exercitator „animus" est. Romani igitur ubi non iocabantur, animi notione superiorem hominis naturam, quae admonet et imperat, designaverunt. Huius cognitionis gravissimum testimonium in hoc Trinummi loco deteximus. Nam ille usus loquendi, quo in fabula Menandrea Charisius iuvenis philosophia imbutus superiorem rationem daemonii nomine significavit, a Romanis valde alienus erat. Divinam enim naturam homini insitam nihil aliud ducebant Romani nisi animum ipsum. Quem animum Cicero Brut. 219 *custodem ceterarum ingenii partium* vocat. Et conferas etiam Lucret. III 138: *dominari in corpore toto consilium, quod nos animum mentemque vocamus.*

VII.

De poetis Alexandrinis.

Iam vero ad Alexandrinorum poetarum carmina transgredimur, in quibus utriusque generis soliloquia non pauca inveniri notum est. Proficiscamur a Callimacho, qui in hymno *εἰς Δῆλον* qui inscribitur, hoc exordio usus est:

Τὴν ἱερήν, ὦ θυμέ, τίνα χρόνον ἢ πότ' ἀείσεις
Δῆλον, Ἀπόλλωνος κουροτρόφον;

aliter atque veteres poetae, qui hymnos incipere solebant verbis

Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο (εἰς Ἀπ. 1)

vel

Ἑρμῆν ὕμνει, Μοῦσα, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱόν (εἰς Ἑρμ. 1).

Sequuntur carmina amatoria, in quibus soliloquia proprium locum tenere videntur. Ex Callimachi quidem carminibus documenta ipsa servata nobis non sunt, attamen certe adfuerunt teste Carolo Dilthey, de Call. Cydippa p. 70, ubi legimus: „Iam deinceps narrantur adulescentuli miserandi lacrimae nocturnae, tabescens corpus, oculi marcidi, in solitudinem secessus, secum habiti sermones, nil denique eorum omissum fuisse videmus, quae in amantibus commemorare solent serioris aetatis erotici veteres“.

Sed abhinc ad Theocritum ducimur, cuius ex carminibus plura cognosci possunt. Nam primo quemadmodum amantes secum ipsi verba facere soleant, optime vides XXX 11:

πολλὰ δ' εἰσκαλέσαις θυμὸν ἐμαυτῷ διελεξάμαν.

Et revera deinde *θυμός* ipse ibi invocatur v. 12:

τί δῆτ' αὖτε πόης; ἀλοσύνας τι ἔσχατον ἔσσεται κ. τ. λ.

Eandem hanc soliloquii rationem supra p. 22 sqq. in antiquorum lyricorum carminibus cognovimus, ad quos Philetas quoque accedit, qui Alexandrinorum aetatem ducit. Cuius exstat soliloquium apud Stob. flor. 104, 12:

ἦ μὲν δὴ πελάγεσσι πεφύρησαι χαλεποῖσι,
θυμέ, γαληναίῃ δ' ἐπιμίσγεαι οὐδ' ὅσον ὅσσον
ἀμφὶ δέ τοι νέαι αἰὲν ἀνῖαι τετρήχασιν.

Denique *θυμός* ipse adeo etiam loquens fingitur in eodem quod tetigi Theocriti carmine XXX v. 25, ubi ipse respondet:

ὅττις δοκιμοῖ τὸν δολομάχανον
νικάσειν Ἔρον, οὗτος δοκιμοῖ τοὺς ὑπὲρ ἀμμέων.

Itaque sic ut apud Callimachum *θυμός* canit et carmen condit, apud Theocritum respondet interroganti.

Simile est colloquium, quod cum eo instituit Meleager A. P. XII 117:

„Βεβλήσθω κύβος · ἅπτε · πορεύσομαι" · „Ἠνίδε τόλμα
οἰνοβαρές, τίν' ἔχεις φροντίδα"; „κωμάσομαι".
„Κωμάσομαι; πῇ, θυμέ, τρέπῃ"; „τί δ' ἔρωτι λογισμός;
Ἅπτε τάχος". „Ποῦ δ' ἡ πρόσθε λόγων μελέτη";
Ἐρρίφθω σοφίας ὁ πολὺς πόνος · ἓν μόνον οἶδα
τοῦθ', ὅτι καὶ Ζηνὸς λῆμα καθεῖλεν Ἔρως.

Quod explicat Leo l. l. p. 109: „Es ist der *θυμός*, der zuerst redet, der sich entschlossen hat und dem Sklaven befiehlt die Fackel anzuzünden. Dann läuft das Gespräch in Rede und Gegenrede ab, auch das zweite *ἅπτε* an den Sklaven gerichtet, der dabeistehend die Unschlüssigkeit des vom *ἔρως* hier, vom *λογισμός* dorthin gezogenen Herrn abwartet".

Iam vero pergamus. Alii enim poetae ad *κραδίην* (A. P. V 244), alii ad *ψυχήν* (A. P. V 31; XII 80, 125, 132) verba faciunt. Et *ψυχή* quoque cum homine ipsa colloquitur A. P. V 24, quod carmen cum apud Leonem commemoratum non sit, hoc loco exscribo:

Ψυχή μοι προλέγει φεύγειν πόθον Ἡλιοδώρας
δάκρυα καὶ ζήλους τοὺς πρὶν ἐπισταμένη.
Φησὶ μέν. Ἀλλὰ φυγεῖν οὔ μοι σθένος. ἡ γὰρ ἀναιδὴς
αὐτὴ καὶ προλέγει καὶ προλέγουσα φιλεῖ.

Amantium igitur soliloquia sunt colloquia, quae cum animo habentur. In his autem nusquam nominis appellationem reperiri monendum est. Praeterea etiam hoc liquido apparet, quod *θυμός* vel *ψυχή* his in carminibus non pro superiore hominis natura, immo pro inferiore potissimum accipi debet. Hoc teneas; nam inde factum est, quod iam in philosophorum scriptis ipsum *λογισμόν* superiorem cum *θυμῷ* colloquentem videmus. Cleanthis enim Stoici apud Gal. de plac. Hipp. et Plat. V 170 (cf. Mullach frg. philos. I 152) hi exstant versus:

Λ: Τί ποτ' ἔσθ' ὅ, τι βούλει Θυμέ; τοῦτό μοι φράσον.
Θ: Ἔχω, Λογισμέ, πᾶν ὁ βούλομαι ποεῖν.
Λ: Βασιλικόν ἐστι · πλὴν ὅμως εἰπὸν πόλιν.
Θ: Ὧν ἂν ἐπιθυμῶ, ταῦθ' ὅπως γενήσεται.

Haec hactenus. Sequuntur iam alterius generis soliloquiorum, quae exstant, exempla. Poetas Alexandrinos, quos vocamus, qui argumenta carminum amatoriorum saepenumero ex fabulis scaenicis petiverunt, hanc alteram quoque soliloquii formam carminibus suis recepisse ex rei natura elucet. Quo ex genere sunt Theocr. XI 72—76, ubi Cyclops se revocat verbis: *ὦ Κύκλωψ Κύκλωψ πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;* cf. Verg. Ecl. II 69: *a Corydon Corydon, quae te dementia cepit.* Sed de his verba facere non opus est[1]). Non autem est praetermittendum memorabile illud soliloquium Asclepiadae A. P. XII 50, quod Leo plane omisit:

Πῖν' Ἀσκληπιάδη. τί τὰ δάκρυα ταῦτα, τί πάσχεις;
οὐ σὲ μόνον χαλεπὴ Κύπρις ἐλῄσατο
οὐδ' ἐπὶ σοὶ μούνῳ κατεθήκατο τόξα καὶ ἰοὺς
πικρὸς Ἔρως. τί ζῶν ἐν σποδιῇ τίθεσαι;
πίνωμεν Βάκχου ζωρὸν πόμα. δάκτυλος ἀώς
ἢ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν;
πίνομεν οὖν γαλερῶς. μετά τοι χρόνον οὐκέτι πουλύν,
σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα.

1) cf. Birt. Philol. 63 p. 437.

Primum enim hoc habemus exemplum, quo poeta, qui alteram quandam personam colloquentem non inducit sive non significat, ipse nomine se adloquitur. Quod utrum eadem sententia comprehendamus an aliunde habeat explicatum, iam videbimus. Ac primum quidem Asclepiades in eorum poetarum numero habendus est, qui carmina ad convivia et amorem pertinentia pangebant. Id valet etiam de hoc soliloquio[1]), quo infelici amore cruciatus poeta admonetur, ut brevitatis vitae memor curarum liberationem a Baccho petat et amoris ignem vino extinguat. Sed, id quod nemo negabit, in fingendo carminis argumento poeta non ex suo ingenio hausit; similes enim sententias non modo fabulae comicae exhibent, velut Amphid. frg. 8 (*K.* II p. 238):

πῖνε, παῖζε. θνητὸς ὁ βίος, ὀλίγος οὑπὶ γῇ χρόνος,

Alexid. frg. 25 (*K.* II p. 306):

πίνωμεν, ἐμπίνωμεν, ὦ Σίκων, Σίκων,
χαίρωμεν, ἕως ἔνεστι τὴν ψυχὴν τρέφειν,

sed eadem etiam nobis occurrunt in fragmentis Alcaei, quem saepius imitatus est Asclepiades[2]). Conferas Alcaei frg. 41:

πίνομεν. τί τὸ λύχνον μένομεν; δάκτυλος ἀμέρα.
καδ' δ' ἄειρε κυλίχναις μεγάλαις, αἶτ' ὅτι Οἶκι λαῖς.
οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Δίος υἶος λαθικάδεα
ἀνθρώποισιν ἔδωκ'. ἔγχεε κίρναις ἕνα καὶ δύο
πλέαις κακ κεφάλας, ἀ δ' ἀτέρα τὰν ἀτέραν κύλιξ
ὠθήτω.

In his autem locis, quos adscripsi, is qui verba facit non secum loquitur, sed alterum quendam, sodalem dico, ad compotandum invitare videtur. Itaque etiam Asclepiadis carmen, quippe quod ad convivalem rationem spectet et cum eis arte cohaereat, non dubito quin ita intellegendum sit quasi duo homines colloquantur. Quae opinio manifesto confirmatur vi numeri pluralis, qui inest hisce in versibus:

---

1) cf. Pauly-Wiss. s. v. Asclepiades col. 1626.

2) ibid. col. 1625.

πίνωμεν Βάκχου ζωρὸν πόμα. δάκτυλος ἀώς
ἢ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν
πίνομεν οὖν γαλερῶς. μετά τοι χρόνον οὐκέτι πουλύν,
σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα.

Ecce *πίνωμεν* et *πίνομεν οὖν*. Haec ea est sermonis forma, quam non nisi colloquii inter homines gesti nomine designare possis. Itaque eo progrediendum est, ut soliloquii rationem amplificatam esse contendamus imitatione colloquii, quo amicus aliquis praesens fingitur, qui ad poetam verba facit[1]). Qua in re Sapphonis etiam exemplum aliquid valuisse existimandum est, cum hanc quoque poetam imitandam sibi proposuisse Asclepiadem satis constet.

Quae cum ita sint, iam velim conferas soliloquia poetarum Alexandrinorum cum iis, quae in veterum lyricorum carminibus servata sunt: videbis prorsus eandem esse secum loquendi rationem in utroque genere. Nam in omnibus duae praesto sunt soliloquiorum formae. Secum ipsi loquentes poetae ad a n i m u m verba faciunt, sin autem nomine appellantur, alium hominem loquentem fingunt. Ac ne unum quidem soliloquium exstat, quod ab hac lyricorum poetarum consuetudine excipiendum sit.

Quae cum viderim, carmen ego Horatianum III 12, quo Neobulen aliquis adloquitur et adhortatur (cf. supra pg. 23) iam ita interpretor, ut non deus aliquis vel genius sit qui ibi verba faciat, sed puellae amicus sive ipse Horatius poeta.

Liceat autem hoc loco paullulum subsistere, ut recentiorum et recentissimorum poetarum usum in comparationem vocemus. Nam in his quoque poetis certa ratione discrimen faciendum esse videtur inter consuetudinem eorum, qui in scaena agunt, et poetarum ipsorum soliloquia carminibus expressa. Quod ut paucis illustretur, haud exiguum esse numerum eorum, qui in scaena hodierna nomine se ipsi appellant vel orationem secunda verbi persona pronuntiatam ad se derigunt, moneo; nec solum in comoediis sed etiam in serioribus fabulis exempla non desunt,

---

1) Alia etiam Asclepiadae carmina amatoria cum colloquiis similitudine iuncta sunt. cf. Rasche, de anthol. Graecae epigrammatis, quae colloquii formam habent. Diss. Monast. Guestf. 1910 p. 43.

Shakespeare, King Lear I, 4: „Now, canish'd Kent" sqq.; Goethe, Faust I v. 2720: „Armsel'ger Faust! ich kenne dich nicht mehr"; Schiller, Wallensteins Tod I, 4:

> Und was ist dein Beginnen? Hast du dir's
> auch redlich selbst bekannt? Du willst die Macht,
> die ruhig sicher thronende, erschüttern sqq.

Aliter autem res se habet in ipsorum soliloquiis poetarum. In his enim simile quiddam me invenire non memini; sed in eiusmodi carminibus ii, qui secum verba faciunt, sicut in antiquorum soliloquiis mos erat, ad animum loquuntur; Schenkendorf, An das Herz:

> Laß legen sich die Ungeduld,
> sei stille, Herz, nur stille eqs.

Heinius vero ipse nomine se appellat, ita tamen, ut alteram personam colloquentem inducat, Lyrisches Intermezzo LXVI („Nacht lag auf meinen Augen").

VIII.

De scriptoribus Latinis, Catullo in primis et Cicerone.

Quoniam de Graecis et de Romanorum fabula palliata satis exposuisse videmur, nunc de reliquis poetis Latinis disserendum est. Quos cum Graecorum vestigia plus minusve pressisse constet, non mirabimur, quod omnes fere soliloquii formae, quibus illi usi sunt, in carminibus eorum denuo comparent. Itaque hac quoque in inquisitione ab eo ordiendum est, ut quae sit altera hominis natura inquiramus.

Afferenda primum sunt Ennii verba, quibus soliloquia inducit, Ann. 175:

> Tum cum corde suo divum pater atque hominum rex effatur.

ib. 540:

> effudit voces proprio cum pectore sancto[1]).

Sequitur Pacuvius, qui animum adloquitur 284: *consternare, anime* sqq.[2]). Item Accius personas animum adloquentes facit 489: *iube nunc adtemptare, iube nunc, anime* (*-o* codd.) *ruspari Phrygas*.

Deinde Alexandrinorum poetarum consuetudinem secutus Catullus in docto carmine 63 Attidem ad animum loquentem inducit v. 61:

> Miser a miser, querendumst etiam atque etiam, anime.

---

1) de *cum* praepositionis apud Ennium usu cf. Vahlen Mus. Rhen. XIV p. 566.

2) v. Leo l. l. p. 106.

Hic est animus ille, qui ipse cum homine colloquitur apud Horat. sat. I 2, 68:

Huic si mutonis verbis mala tanta videnti
diceret haec animus: „quid vis tibi numquid ego" sqq.

Conferamus Plaut. Trin. 226: „Magister mihi exercitor nunc animus est"; de quo supra p. 71 disseruimus.

Apud Calvum, Catulli sodalem, non animus, sed mens sermonicinatur, in Ionis fragmento quod est:

mens mea dira sibi praedicens omnia vecors.

Unde Birtius in eam suspicionem perductus est, ut mentem ipsam fuisse dicat, quae in toto carmine Calvi Io inscripto sermonem haberet, eadem ratione, qua Cassandra utitur in Alexandra Lycophronis omnia futura „praedicens"[1]. Ceterum cum Calvi versu conferri posse videtur illud A. P. V 24: *ψυχή μοι προλέγει φεύγειν* (supra p. 74).

Propertius autem solus poetarum Romanorum, si codicibus manu scriptis fidem habemus, ad animam verba facere videtur[2]; II 10, 11:

surge anima ex humili iam carmine; sumite vires
    Pierides: magni nunc erit oris opus.

Sed enim etiam hic *anime* reponendum esse Birtius similibus exemplis collectis demonstravit in opusculo, quod inscribitur „Propertius, Codex Guelferb. Gud. 224 olim Neapol. phototypice editus", col. XLVII; quam ego emendationem eo certiorem dico, quia nullum in litteris non Christianis locum inveni, ubi quis animam suam adloquatur.

Quae quoniam cognovimus, nunc ad clarissima Catulli soliloquia accedendum est, quibus ut operam navemus, virorum doctorum, qui in interpretandis his rebus inter se dissident, sententiis adducimur. Ut paucis exponam, Birtius Philol. 63 p. 436 sqq. statuit soliloquia Catulli tamquam colloquia ficta esse, in quibus superior quaedam natura, genium dico, poetam adhortaretur. Cui sententiae Leo, quem secutus est Otto (Pauly-

1) cf. Birt, Kr. u. Herm. p. 212.
2) cf. Leo l. l. p. 110.

Wissowa s. v. Genius col. 1170), adversatus est haec dicens (l. l. p. 110 adn. 1): „Birt Phil. 63, 442 versteht Catull und seinen Genius; es wird aber deutlich sein, daß wir für die römische Selbstanrede keiner besonderen Erklärung bedürfen, d. h. keiner anderen als für Euripides und Menander". Sed huius argumenti ratio aliqua quidem ex parte non ita placet, ut plane assentiamur. Cuius dubitationis nunc reddam rationem.

Consentaneum sane est Catulli ut docti poetae carmina certo quodam vinculo cohaerere cum Graecis. At vero si in carminibus illius explicandis ad Graecos ipsos oculos convertamus necesse est, tamen mihi quidem in comparationem non fabulae scaenicae, sed Alexandrinorum potissimum carmina vocanda videntur. Nam primum similitudines, quae in Catulli soliloquiis et Graecorum sive Romanorum fabulis scaenicis revera offeruntur[1]), ad verba tantum spectant ac nescio an ita explicari possint, ut eae non recta via ex fabulis ipsis, sed ab elegis Alexandrinis, quorum poetae comoedias exscripserunt, in Catulli carmina demanaverint. Nam hoc modo res, quibus comici Attici et elegiaci Romani consentirent, intellegendas esse et alii et Volkmar Hoelzer demonstraverunt[2]).

Iam vero ne argumenta desideres, reperiuntur re vera, quae soliloquiis Catulli cum Alexandrinorum carminibus communia sint. Facile enim agnoscas, quam simili ratione Theocritus epigrammatis cuiusdam initium fecerit A. P. IX 432:

Ὦ δείλαιε τυ Θύρσι, τί τοι πλέον, εἰ καταταξεῖς κ. τ. λ.

quocum conferas Catulli 8, 1:

Miser Catulle, desinas ineptire sqq.

Non minus commode comparari possunt A. P. V 308, 6: *νῦν δ' ὑγίαινε γύναι* cum Catulli verbis 8, 12: „vale puella". Nec solum dictione Graecorum utitur Catullus, sed ipsam soliloquii

---

1) v. Leo p. 81, 2 et 103, 1: sunt enim Plaut. Trin. 1026, ubi Stasimus servus ille ebrius in soliloquio dicit: *quin tu quod periit periisse ducis* et Cat. 8, 2: *et quod vides perisse perditum ducas;* porro Men. Sam. 141, ubi Demeas senex: *δακὼν δ' ἀνάσχου, καρτέρησον εὐγενῶς* et Cat. 8, 11: *sed obstinata mente perfer, obdura.*

2) Volkmar Hoelzer, de poesi amatoria a comicis atticis exculta sqq. Diss. Marp. a. 1899.

formam ex eis petivit. Memineris enim de Asclepiadae carmine A. P. XII 50 supra p. 74) quo poeta amisso pueri amore afflictus dolorem suum consolatur. Quocum consentit Catulli carmen 8, quod prorsus eadem de causa scriptum est:

Miser Catulle, desinas ineptire
et quod vides perisse perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles
cum ventitabas quo puella ducebat
amata nobis quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tum iocosa fiebant
quae tu volebas nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult: tu quoque impotens noli
nec quae fugit sectare, nec miser vive,
sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale puella; iam Catullus obdurat
nec te requiret nec rogabit invitam:
at tu dolebis cum rogaberis nulla.
Scelesta, vae te, quae tibi manet vita!
quis nunc te adibit, cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis, cui labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

Quodsi quaeris, quibus rebus soliloquia Catulli et Asclepiadae inter se congruant, primum ad argumentum animum advertas; nam poeta amatam puellam perfidam esse cognovit, quod eius scelus causa est perniciosae animi aegritudinis, quam ad leniendam poeta ipse haec verba secum facit. Gravior autem ea res est, quod Asclepiadae carmen tamquam colloquium quoddam fictum esse ex numero plurali quo utitur intelleximus (v. supra p. 75); eadem vero ratio in hoc Catulli soliloquio valet. Nam verba *amata nobis* (v. 5) vix aliter interpretari possis[1]): duo igitur sunt qui puellam amaverint. Eodem spectant in reliquis Catulli soliloquiis versus: *ad claras Asiae volemus urbes* (46, 6), ubi rursus plus unus est qui volare se velle dicit, et diverbium hoc: „*Difficile est longum subito deponere amorem*". „*Difficilest,*

1) Birt l. l. p. 442; Leo l. l. p. 110, 1.

verum hoc quam lubet efficias" (76, 13—14)[1]; quibuscum comparanda sunt verba ex Meleagri colloquio desumpta A. P. XII 117, 2—3: „*κωμάσομαι*". „*κωμάσομαι; πῆ, θυμέ, τρέπῃ*"; (v. supra p. 73).

His quoniam sine ulla dubitatione efficitur Catulli quoque carmina vera colloquia esse, sequitur, ut quaeramus quis sit alter ille, qui cum poeta verba faciat. Hoc autem sicut in Graeco exemplo nos assequi posse ipsius argumenti explicatione confido. Aliud enim est apud hunc, aliud apud illum.

Ac primum quidem Catulli carmina, dico carm. 8 et 76 in quibus quaestionis fundamentum positum sit, ad convivalem rationem non spectare demonstratione non indiget; magis autem respiciendum est, quod in ipsis rebus amatoriis enarrandis mirum in modum Catulli sententia ab omnium hominum amantium moribus discedit, qui in Graecorum et Romanorum cum fabulis scaenicis tum carminibus amatoriis describi solent. Quod breviter adumbrabo. Iuvenes enim, qui in simili condicione atque Catullus versantur, amori cedendum, non resistendum esse semper et ubique fere admonentur. Item amoris gaudiis abreptis semper lamentantur, cruciatum suum deplorant, gravi et vehementi morbo se affectos dicunt, cui facere medicinam nemo possit. A puella exclusi et repudiati mortem sibi petunt, eiusque perfidiam experti deos esse credere dubitant[2]. Catullo vero cum his nihil est commune; nam neque lamentatur neque exsecratur sed ait: *quod vides perisse perditum ducas;* non cedit puellae, sed *tu quoque noli*; non mortem petit, sed *obstinata mente perfer* clamat *nec miser vive.* Denique pio animo deos implorat, ut auxilium mittant seque amore in sempiternum liberent.

Iam vero hanc rem longius persequi non opus est. Nam sententiarum discrepantiae quantae et quales sint, hac ex adumbratione satis elucet. Etiam reliqua carmina, quibus de amore suo agit Catullus, a comicorum rebus amatoriis eodem modo valde distare obiter commemorare sufficit. Quae cum

---

1) Birt ib. p. 439.

2) Has de iuvenum moribus sententias ex Hoelzeri dissertatione supra commemorata petivi.

ita se habeant, formam quidem soliloquiorum a Graecis petitam, argumentum autem plane novum et ex ipso poetae ingenio haustum esse recte concludere nobis videmur. Quibuscum, ut aliud consimile exemplum proferam, illius carminis ratio optime consentit, quo Catullus ianuam colloquentem fingit (c. 67); in eo enim carmine id egit, ut formam derivatam a Graecis servaret[1]), argumentum autem ex rebus sua aetate gestis peteret. Neque hoc mirum est; nam ut doctus poeta carmina Graecorum ante oculos habuit, exemplis autem superatis eo progressus est, ut argumentum ipsum rebus ex vita sua desumptis impleret. Utrumque igitur, dico formam et argumentum, per se spectandum est, ita ut in soliloquiis explicandis duabus viis procedere debeamus: altera enim de forma videndum est, quomodo a Graecis pendeat, altera de argumento, quod poetae ingenii proprium est.

Ac de priore illa demonstrationis parte satis iam dictum arbitror. Nunc autem ut de argumento disseramus, in memoriam breviter revocemus soliloquia a Catullo eo consilio scripta esse, ut dolorem suum et adversam fortunam consolando levaret. Porro respicias velim, quod modo exposuimus, Catulli verba magna ingenii virtute et animi firmitate praestare eis, quae de iuvenibus eodem modo affectis in comoediis et carminibus amatoriis plerisque scripta invenimus. Nemo talia ante scripserat qualia ipse in carminibus lyricis nulloque exemplo Catullus utebatur. Quae cum ita sint, ad hanc ego cogitationem deductus sum sustineoque Catullum ut soliloquiis dolorem et declararet et minueret, eis sententiis commotum esse, quae ipsius aetate Romae de ferendo dolore circumferebantur.

Nam hoc fere tempore quo floruit Catullus ad Romanos, qui vitam optime degendam et cupiditate et aegritudine liberandam quaererent, philosophorum studia et exercitationes traductas esse nemo est quin sciat. Inprimis iuvenes ad philosophiam colendam incitatos esse ex Ciceronis scriptis cognoscitur. Qui ipse philosophorum sententias, quas de ferendo dolore protulerunt, collegit et ad commune iudicium popularemque intellegentiam Romanorum accommodatas in Tusculanis diputationibus retrac-

1) Quod demonstravit Fries, Mus. Rhen. 59 p. 213 sqq.

tavit[1]). Quo opere quamquam paullo posteriore tempore scriptum est, haud scio an ullum aptius sit ad illustranda Catulli soliloquia. Nam in secundo disputationum libro, quo de tolerando dolore agit, non modo iuvenibus, ut ipsa virtute se sustentarent, nihil honestius esse ostendit quam fortem animum habere et dolori virtute animoque resistere, sed etiam ipsum soliloquium ad firmandum animum et dolorem minuendum aptissimum esse confirmavit (II 51). Quod idem secutus ipse Cicero postquam filiam amisit per consolationem ad se scriptam miserrimam suam condicionem et animi iacturam ut moderate ferret effecit (ad Att. XII 17, 3; 28, 2).

Adiungam hoc loco alia, quibus quae consensio inter Ciceronem et Catullum intercedat, manifestatur. Saepenumero enim Cicero se recordatione rerum a se gestarum et conscientia bene factorum in ferendo dolore maxime adiutum esse confirmat. Exempli gratia inspicias de sen. 9: *conscientia bene actae vitae multorumque bene factorum recordatio iucundissima est;* ad Att. X 4, 5: *praeclara igitur conscientia sustentor, cum cogito me de re publica meruisse optime, cum potuerim, aut certe nunquam nisi pie cogitasse;* ad fam. IV 3, 1: *me quidem .... tamen multa iam consolantur maximeque conscientia consiliorum meorum.* Denique non praetermittendum est, quod ipse ex hac rerum bene gestarum recordatione et conscientia magnum gaudium percepisse confirmat ad fam. VI 4, 4 sq.[2]). Quibuscum si comparaveris Catulli soliloquium, c. 76 v. 1 sqq.:

> Siqua recordanti benefacta priora voluptas
>   est homini, cum se cogitat esse pium
> nec sanctam violasse fidem nec foedere in ullo
>   divom ad fallendos numine abusum homines,
> multa parata manent in longa aetate, Catulle,
>   ex hoc ingrato gaudia amore tibi.

---

1) Hoc loco id etiam commemorandum mihi videtur, quod Crantoris περὶ πένθους volumen ipsum Romanis minime ignotum fuit (cf. Jahresber. über die Fortschr. d. klass. Altertumswiss. 1913, tom. 162 Abt. 2 p. 128). In quo libro de moderando animo et cupiditatibus coercendis multa disputata sunt (Hirzel Dialog I 350).

2) Alia invenies apud Morawski, Catulliana et Ciceroniana.

Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
aut facere, haec a te dictaque factaque sunt,

similitudinem quandam esse inter Catulli et Ciceronis sententias iure contendes. Ceterum allatum est apposite etiam quod Gellius I 3, 2 de Chilone commemorat: *Dicta, inquit, factaque* (cf. Cat. 76, 8) *in aetate longa* (cf. Cat. 76, 5) *pleraque omnia fuisse non paenitenda sciatis; nihil esse commissum a me, cuius memoria aliquid pariat aegritudinis*[1]). Sed nimirum illa consensio, quae casu aliquo certe non facta est[2]), vix ita explicari possit ut Ciceronem ex Catullo hausisse statuamus, sed ex communi quodam utriusque fonte, philosophicam educationem dico, eam fluxisse magis probabile est. Nam eiusmodi sententiae in fortem hominis Romani animum et ingenuam constantiam optime convenire videntur.

Utcumque haec se habent, certe nostro iure facere videmur si in Catulli soliloquiis rectius intellegendis ea advocamus, quae de soliloquiorum in ferendo dolore utilitate exposita sunt in Ciceronis libris, quos commemoravimus. Ac primo huc spectant verba, quae facit de eo, qui ad animi aegritudinem levandam sibi ipse imperat Tusc. II 51: *In quo vero erit perfecta sapientia (quem adhuc nos quidem vidimus neminem; sed philosophorum sententiis, qualis hic futurus sit, si modo aliquando fuerit, exponitur), is igitur sive ea ratio, quae erit in eo perfecta atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut iustus parens probis filiis; nutu, quod volet, conficiet nullo labore, nulla molestia; eriget ipse se, suscitabit, instruet, armabit, ut tamquam hosti sic obsistat dolori. Quae sunt ista arma? Contentio, confirmatio sermoque intumus, cum ipse secum: Cave turpe quicquam, languidum, non virile.*

His ut recte uti possimus, ipsius Ciceronis verbis soliloquii rationem reddamus necesse est; quam philosophorum sententiis designat ib. II 47: *Quod si tibi persuasum est . . . ., reliquum est, ut tute tibi imperes; quamquam hoc nescio quo modo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur. Est enim animus in partis tributus duas*

---

1) cf. Birt Philol. 63 p. 440.

2) Quod contendit Friedrich, Catulli Veronensis liber p. 493.

quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur ut ratio coerceat temeritatem. Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodam modo et languidum. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius; sed praesto est domina omnium et regina ratio, que conixa per se et progressa longius fit perfecta virtus. Haec ut imperet illi parti animi, quae oboedire debet, id videndum est viro. Ergo etiam a philosophis comprobatur quod dico, secum loquendi rationem colloquii potissimum nomine significandam esse, quod superior animi pars habet cum inferiore.

Iam vero pergamus. Magni enim in hac quaestione momenti esse videtur, ut naturam eiusmodi colloquii exemplo quodam ex eodem Ciceronis libro allato demonstremus; legimus II 45: *His tu praesentibus gemere et iactare te non audebis profecto; loquetur enim eorum voce Virtus ipsa tecum: Tunc cum pueros Lacedaemone, adulescentis Olympiae, barbaros in harena videris excipientis gravissimas plagas et ferentis silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis ut mulier, non constanter et sedate feres?* Vides Ciceronem, ut superiorem animi naturam in colloquendi ratione homini ipsi opponeret, facere non potuisse, ut rationis notionem loquentem induceret, sed „dominam omnium et reginam rationem" quasi personam finxit, quam Virtutem nominavit (cf. II 47).

Haec autem res certam quandam requirit explicationem. Nam primo hoc ipsum ad quaerendum incitat, quod Cicero soliloquium illud non inducit verbis: „loqueris enim tecum ipse" vel sim., sicut factum est Tusc. II 51 *(cum ipse secum: „Cave turpe quicquam, languidum, non virile")* vel ad fam. IV 5, 4, ubi Servius Sulpicius consolatur Ciceronem adflictum obitu filiae his verbis: *Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere; post me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: „hem! nos homunculi indignamur, si quis*

nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iacent. Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse hominem te esse natum“? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus.

Itaque huius inductionis discrimen unde ortum sit ut planius intellegas, memineris necesse est philosophos notiones earum rerum, quae per mentem intelleguntur, in disputationibus ita repraesentare amavisse, ut tamquam forma et corpore praeditas oculis sensibusque subicerent[1]). Quo ex genere erat, quod Cleanthem contrarias animi humani partes, ut colloquentes faceret, quasi personas ante oculos posuisse vidimus (cf. p. 74). Accedit autem quod etiam oratores, quo vehementius animos permoverent, cum alia tum fictam personam loquentem induci voluerunt. Est enim apud Ciceronem de part. orat. 55 hoc praeceptum: *Rerum autem amplificatio sumitur eisdem ex locis omnibus, e quibus illa, quae dicta sunt ad fidem, maximeque valent et definitiones conglobatae et consequentium frequentatio et contrariarum et dissimilium et inter se pugnantium rerum conflictio et causae eaque, quae sunt orta de causis, maximeque similitudines et exempla; fictae etiam personae, muta*[2]) *denique loquantur, omnino ea sunt adhibenda, si causa patitur, quae habentur magna, quorum est duplex genus.* Quam rem etiam in soliloquiis describendis aliquid valuisse reliquum est ut demonstretur. Cicero enim ad fam. I 9, 10 haec dicit: *Haec cum ad me frater pertulisset et cum tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de causa Campana ad suum reditum reservarem, collegi ipse me et c u m i p s a q u a s i r e p u b l i c a c o l l o c u t u s s u m, ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut officium meum memoremque in bene meritos animum fidemque fratris mei praestarem, eumque quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur.* Quibus adiungas pro Planc. 92: *r e s vero ipsa p u b l i c a s i l o q u i p o s s e t, ageret mecum, ut, quoniam sibi servissem semper, nunquam mihi, fructus autem ex sese non, ut oportuisset, laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos tulissem, ut*

1) cf. Hirzel Dialog I p. 370.

2) cf. orat. cap. 40: „ut muta quaedam loquentia inducat“.

iam mihi servirem, consulerem meis: se non modo satis habere a me, sed etiam vereri, ne parum mihi pro eo quantum a me haberet reddidisset[1]). Ergo ut secum deliberandi rationem efficacius exprimeret et describeret, sermonem colloquii forma reddidit.

Hactenus de Cicerone. Iam vero quaestione ad Catulli soliloquia traducta, quae ratio valuerit, ut colloquii formam ea acciperent, satis elucet. Nam unus quisque, qui argumentationem nostram attento animo comprehenderit, non poterit dubitare, quin ad Catulli soliloquia vel potius colloquia defendenda vix ullum exemplum aptius sit quam Ciceronis illud, quo Virtus ipsa alterius personae colloquentis partes suscipit. Statuendum igitur est superiorem animi naturam, quam ut personam poeta repraesentavit, in eis verba facere. Quo modo solo recte explicari potest numeri pluralis usus in elocutionibus *amata nobis* (8, 5); *ad claras Asiae volemus urbis* (46, 6); vide supra p. 81. Itaque hac in re Catullus idem sentit, quod iuvenis ille Plautinus, qui dicit: *magister mihi exercitor animus nunc est* (Trin. 226; supra p. 71). Neque aliter fecit in Menandri fabula Charisius cui in rebus amatoriis *τὸ δαιμόνιον* quasi exercitator exstitit (Epitr. 441 sqq.; supra p. 58). Possunt etiam comparari quodam modo Euripidis sive Menandri verba illa quae sunt: *ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ὁ λαλήσων θεός* (Men. frg. 70), denique Homeri soliloquia ea, quae in colloquia cum dis habita transformata sunt, de quibus verba feci supra p. 18 sqq. Quae cum ita sint, non sine gaudio intelleximus in Catulli ingenio spectando nobis cum viris doctis convenire, qui Catullum, quantum ad ingenii naturam et vim pertinet, cognatissimum esse Graecis iudicaverunt, velut Macaulay, qui dicit: „Ein bewundernswerter Dichter. Kein lateinischer Schriftsteller ist so griechisch. Die Einfachheit, das Pathos, die vollkommene Grazie, welche ich in den großen athenischen Mustern finde, sind alle in Catull vereint und in ihm allein unter den Römern“ (Macaulay, Leben u. Briefe hrsg. von Trevelyan, übers. von C. Böttger p. 474).

Liceat autem ad sententiam nostram confirmandam alterius viri Romani exemplum afferre. Maiorem enim Scipionem Afri-

---

1) Memineris quaeso, quod apud Platonem leges ipsae ad Socratem verba faciunt (Criton 50 c; supra p. 7).

canum Graecarum litterarum scientia eruditissimum fuisse notum est. Qua cum esset natura et ingenio, solitudinem et secum habitos sermones amabat, quin etiam a superiore natura ea quae in vitae negotiis facienda erant sibi commendari ille opinabatur[1]). Cuius rei testimonia haec sunt; Cic. de off. III 1: *P. Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum esse scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, nunquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset,* pergitque Cicero ipse: *magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna, quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum esse, ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret.* Livius XXVI 19: *fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuventa in ostentationem earum compositus, pleraque apud multitudinem aut per nocturnas visas species aut velut divinitus mente monita agens, sive et ipse capti quadam superstitione animi sive ut imperia consiliaque velut sorte oraculi missa sine cunctatione exsequeretur.* cf. Polyb. X 5: *μὴ μόνον κατὰ τὸν ὕπνον, ἔτι δὲ μᾶλλον ὕπαρ καὶ μεθ' ἡμέραν διαλέγεσθαι τοῖς θεοῖς.* Quibus cognitis antiquorum soliloquia quomodo colloquiis se appropinquent, facile intellegitur.

Atque haec soliloquiorum conformatio multo etiam magis apud Catullum placet. Nam poetas verba secum facta ut carminibus exprimerent, hanc quasi legem secutos esse cognovimus, ut personam aliquam colloquentem inducerent; scilicet quia in poetarum artem convenit res in animo actas, quas cogitatione tantum complecti possumus, dicendo ita effingere, ut sicut in pictura ante oculos esse videantur. Qua in re artificium quoddam poetarum Alexandrinorum commemorandum est, de quo disputat Dilthey, De Callimachi Cyd. p. 15 dicens: „Alexandrini enim poetae cum non amplius contenti essent invocatione Musarum, quibus inspirarentur, argumenta sua ad quasdam theophanias referre impense amabant; quo ex genere Eratosthenis Mercurius erat et Alexandri Aetoli Apollo et crebra talia apud Ovidium". Ciceronem autem ipsum de consulatu suo carmen scripsisse

---

1) cf. Birt, Römische Charakterköpfe p. 25.

notum est; quo in carmine Uraniam, Calliopam, Minervam, Iovem ad se ipsum loquentes fecit. De harum orationum ratione scripsit ad Quintum fratrem II 7, 1: *quod me admones de nostra Urania suadesque ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro, ego vero memini et illa omnia mihi magis scripsi quam ceteris.* Minime igitur in lubrico versatur sententia nostra, qua superiorem animi naturam tamquam personam poetae consolatricem et admonitricem esse contendimus.

Iam vero subobscura quaestio movetur de nomine, quo ea appellanda sit. Nam in rebus amatoriis eam vim, quae ad dolorem moderate ferendum incitat, Virtutis nomine praedicari non posse manifestum est. Hic autem nobis subvenit Birtius, qui sententiarum, quae in his soliloquiis insunt, natura accurate examinata g e n i u m poetae ipsius loquentem fictum esse concludit[1]. Singularia autem argumenta, quibus usus est vir doctissimus, ad persuadendum apta repetendo exponere supersedeo. Relinquitur tamen, ut paucis significem, quibus praeterea rationibus aliunde petitis, ut ad eius sententiam accederem adductus sim.

Primum igitur hoc est, quod superior animi natura, quam Cicero rationem significavit (Tusc. II 47), a Romanis eis, qui Stoicorum secuti sunt doctrinam, re vera genius vocatur. Habeas testimonia, quibus nitendum est. Varro ant. rer. div. 200: *genium esse uniuscuiusque animam rationalem et ideo esse singulos singulorum, talem autem mundi animum deum esse.* Conspirat Apuleius de deo Socr. 15: *quodam significatu et animus humanus etiam nunc in corpore situs daemon nuncupatur .... eum nostra lingua .... ut ego interpretor, poteris genium vocare, quod is deus, qui est animus sui cuique, quamquam sit immortalis tamen quodam modo cum homine gignitur.* Accedit Seneca ep. 110, 1: *maiores nostros Stoicos fuisse, singulis enim Genium et Iunonem dederunt.*

Quod idem ut diligentius demonstretur, ad Ciceronis sententiam provoco. Rationem enim dominam esse et reginam hominum in Tusc. disp. II cap. 21 confirmavit. Eandem autem vim, quae in hominis animo dominatur, d e u m esse h o m i n i b u s

1) v. Philol. 63 p. 436 sqq.

innatum iudicat ib. I 30, 74 dicens: *Cato autem sic abiit e vita ut causam moriendi se nactum esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare; cum vero causam iustam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni ...., sic a deo evocatus atque emissus exierit.* Cuius sententiae ratio ut dilucide appareat, scire debemus Ciceronem his verbis Posidonii exprimere doctrinam, ex qua ea, quae in primo Tusculanarum disputationum libro exponuntur, maxima ex parte hausta esse omnes consentiunt[1]). Posidonius vero in Stoicorum familia is est, qui docebat daemonem, cuius in tutela a primo vitae die homines viverent, ingressum esse extrinsecus (v. Gal. de plac. Hipp. et Plat. V 449 M)[2]). Qui daemon et *νοῦς* ipse ab eo in eodem ordine ponuntur apud Gal. ib. V 591: *οἱ πολλοὶ νοῦν ἐντὸς εἶναι νομίζουσιν αὑτῶν, οἱ δὲ ὀρθῶς ὑπονοοῦντες ὡς ἐκτὸς ὄντα δαίμονα προσαγορεύουσι*[3]).

Iam vero inter Graecorum daemonem et genium Romanorum quae cognatio intercedat, me documento quodam probaturum esse spero, quod ex Rohdii libro de anima scripto desumpsi. Legimus enim ibi II p. 316 adn. 1: „Noch völlig frei von solcher Verflüchtigung zum Begriff ist die Person des Dämon in einem sehr bemerkenswerten Falle geblieben, indem, zu Halikarnaß, Poseidonius mit seinen *ἔκγονοι* beschließen, am ersten des Monats *Ἑρμαιών* zu opfern *δαίμονι ἀγαθῷ Ποσειδωνίου — κριόν* (G. inscr. in the Brit. mus. IV 1 n. 896 p. 70 Z. 35. Die Inschr. scheint aus dem 3. Jhrh. v. Chr. zu sein). Hier wird also dem *ἀγαθὸς δαίμων* des noch Lebenden geopfert, völlig wie an Geburtstagen und sonst der Römer seinem genius opfert. Der *ἀγαθὸς δαίμων* ist ersichtlich völlig identisch mit dem genius. Dieser Spezialdämon, der sich ihm persönlich gegenüberstellen kann (wie dem Brutus sein *δαίμων κακός* Plut. Brut. 36), ist von dessen *ψυχή* verschieden, wiewohl sich denken

1) cf. P. Corssen, De Posidonio Rhodio sqq. Bonnae 1878; Diels Mus. Rhen. XXXIV p. 487; Schmekel, Philos. d. mittl. Stoa p. 132; Pohlenz Progr. Goetting. a. 1909.

2) v. Bonhöffer, Epictet p. 79, 80; Schmekel l. l. p. 248; Rohde, Psyche II 316, 1.

3) Hanc Posidonii esse sententiam docet Heinze Xenocr. p. 130 sqq.

ließe, daß er eigentlich nur aus einer Projizierung der allzu selbständig gedachten eigenen ψυχή des Menschen entstanden sein möge (ähnlich auch hierin dem röm. genius)“. Habebat igitur unusquisque Stoicus suum ἀγαθὸν δαίμονα ipsi genio simillimum. Huc accedit quod in rebus amatoriis, de quibus apud Catullum res est, genii potentia satis magna fuisse videtur; quod colligi potest ex Sulpiciae carmine Tib. IV, 5 v. 5 sqq.:

uror ego ante alias: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror,
si tibi de nobis mutuus ignis adest.
mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
perque tuos oculos per geniumque rogo.
magne geni, cape tura libens votisque faveto,
si modo, cum de me cogitat, ille calet.
quod si forte alios iam nunc suspiret amores,
tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
nec tu sis iniusta, Venus: vel serviat aeque
vinctus uterque tibi; vel mea vincla leva.
sed potius valida teneamur uterque catena,
nulla queat posthac ⟨nos⟩ soluisse dies.
optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat:
nam pudet haec illum dicere verba palam.
at tu, natalis, quoniam deus omnia sentis,
adnue: quid refert, clamne palamne roget.

Quodsi genii haec vis est ut amantis vota compleat (v. 20), infidelis amatoris focum relinquat (v. 12), nonne etiam auxilium ferre potest iuveni alacri et lascivo, Catullum dico, quem animus et amor rapit in perniciem? Animum sanat genius. Huc pertinet, quod etiam Cicero animi sui levationem deo quodam auctore factam esse existimavit, ep. ad fam. XIV 7, 1: *Omnes molestias et sollicitudines, quibus et te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, Tulliolamque, quae nobis nostra vita dulcior est, deposui et eieci: quid causae autem fuerit, postridie intellexi, quom a vobis discessi: χολὴν ἄκρατον noctu eieci. Statim ita sum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum soles, pie et caste satisfacies.*

Attamen in sententia nostra demonstranda una restat dubitatio, quae neglegenda non est. Obici enim nobis potest eam

de genio sententiam, quam protulimus, a Catulli aetate fortasse alienam fuisse, cum nullum eius quidem aetatis praesto sit testimonium, quo ea genii vis defendatur. Quae opinio quomodo corrigenda sit paucis exponam. Sane quidem propria natura, quam genio antiquitus Romani adsignaverunt, alia est ac ratio eius daemonis, quem Stoici philosophi hominibus additum esse docuerunt. Tamen in Romanorum usu loquendi eam vim, quam Stoici daemonis notione significabant, genii nomine expressam esse satis constat, cf. etiam Serv. Georg. III 417: *ut sunt ἀγαθοὶ δαίμονες quos latine genios vocant,* idque etiam ex nonnullis testimoniis colligi potest, quae ex antiquioribus Romanorum litteris desumuntur. Videas enim quam accurate Stoicorum locutio apud Marc. Aurel. III 7 servata: *τὸν ἑαυτοῦ νοῦν καὶ δαίμονα* respondeat antiquissimi Plauti verbis Aulul. 725: *(egomet me defraudavi) animumque meum et genium.* Porro etiam Lucilius Graecorum daemonem genii vocabulo Latine reddidisse videtur; legitur enim apud Censorinum de die nat. cap. 3, 3: *Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis genium dicit adpositum esse, quam rem apud Lucilium in libro satyrarum XVI licet cognoscere.* Dixeris hoc argumento caute utendum esse, nam Censorinum ipsum Lucilii libros vix legisse Marxius docet[1]; sed si ille non legit, doctrinam hanc ex alio assumpsit[2]. Varro autem, Catulli aequalis, Stoicorum sententiam secutus illud divinum, quod in hominis animo dominatur, genium esse aperte statuit, ant. rer. div. 200: *genium esse uniuscuiusque animum rationalem.* Hoc autem loco evitari non potest, ut illius rei causam quaeramus, quod Cicero ipse in explicandis Stoicorum sententiis hunc usum loquendi nusquam admisit, immo animi superiorem naturam circumscripsit verbis: *dominans ille in nobis deus* (Tusc. I 74). Quod etiam Willingius observavit, qui dicit (l. l. p. 181 adn. 3): „*δαιμόνων*, quorum cum vi ac natura Ciceroni Posidonii de divinatione libros excerpenti saepe res erat, cum peculiaris translatio apud illum nusquam occurrat, suspicio ex-

---

1) Luc. II p. 193.

2) cf. Wissowa Rel. u. Kult. d. Röm. p. 176 adn. 7: „von einem doppelten Genius eines jeden Menschen, einem guten und einem bösen, hatte Lucilius gesprochen".

oritur nonnumquam „deos“ in *δαιμόνων* locum successisse“[1]). Quae res mihi quidem ita explicanda videtur, quod in Romanorum lingua vocabulum, quo daemonis notio accurate reddi potuisset, plane defuit. Ea autem numina, quae similitudine quadam cum Graecorum daemonibus coniuncta erant, vulgaria sive inferioris generis dei habebantur, quos Ovidius *de plebe deos* significat (fast. V 20). Quorum cum in communi populi opinione maxime locus esset, in philosophorum sententias et sermones parum bene convenire Ciceroni visi sunt.

Minime igitur haec res ad Catulli soliloquiorum rationem refellendam adhiberi potest. Nam ille Graecorum usum loquendi imitatus nihil obstabat quin genium suum loquentem fingeret, cuius in tutela homines vivere Romanorum communis erat opinio. Qui volet, in eo sane se contineat ut divinum Catulli interlocutorem duce Cicerone „dominantem in Catullo deum“ vocet (cf. Tusc. I 18); tamen genium hunc vocare non est quod dubites.

Haec de maioribus Catulli soliloquiis exposuimus. Nunc pauca dicenda sunt de eius carminibus 46, 51, 52. Nam in his poetam ut soliloquii naturam amplificaret, eadem fictione usum esse apparet. Quod satis probabili coniectura assecutus est Birtius[2]), qui genium adsiduum Catulli comitem et admonitorem in itinere faciendo similibusque rebus intellegendum esse censet. Ad fidem huius sententiae augendam similem fortasse rem, qua divinae consuetudinis natura paulo clarior fit, afferre possumus desumptam ex Romanorum historia. Diodorus enim de Numa rege hanc narrationem tradit (II 60): *λόγους δ' ὑπὲρ αὐτοῦ πολλοὺς καὶ θαυμαστοὺς λέγουσιν, ἀναφέροντες τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν εἰς θεῶν ὑποθήκας. Νύμφην γάρ τινα μυθολογοῦσιν Ἠγερίαν φοιτᾶν πρὸς αὐτὸν ἑκάστοτε διδάσκουσαν τὴν βασιλικὴν σοφίαν. ἕτεροι δ' οὐ νύμφην, ἀλλὰ τῶν Μουσῶν μίαν.* In his respiciendum est superstitiosum Romanorum animum in tales narrationes et fabulas fingendas propensiorem fuisse quam Graecos et alias gentes antiquas. Itaque hic quoque numen aliquod divinum homini adest quod ubicumque opus est eum

1) Fortasse in hac re comparari possunt Posidonii verba: *ἕπεσθαι τῷ ἐν αὐτῷ δαίμονι* (Gal. V 496) cum Ciceronis Lael. 19: *naturam optimam sequi.*

2) Philol. 63 p. 438.

docet *(ἑκάστοτε διδάσκει)*. Eo autem quod haec res ad frequentiorem et vehementiorem animi commotionem spectat, etiam de nostrorum temporum hominibus monemur, a quibus talis opinio non aliena est. Afferam eruditissimi viri testimonium quod nuper legi; Sven Hedin, Transhimalaia cap. 1, haec narrat: „Im Frühling des Jahres 1905 ging mir der Gedanke an eine neue Reise nach Tibet sehr im Kopf herum. Drei Jahre waren seit meiner Rückkehr ins Vaterland verstrichen; mein Arbeitszimmer begann mir schon zu eng zu werden; wenn am Abend ringsum alles still war, glaubte ich im Sausen des Windes den Mahnruf zu hören: „Komm wieder zurück in die Stille der Wildnis“. Und wenn ich morgens erwachte, horchte ich unwillkürlich, ob nicht schon da draußen die Karawanenglocken läuteten. So verstrich die Zeit, der Plan gedieh zur Reife und bald war mein Schicksal entschieden: ich mußte wieder zurück in die große Freiheit der Wüste und hinaus auf die weiten Ebenen zwischen Tibets schneebedeckten Bergen. Dieser inneren Stimme, wenn sie stark und deutlich spricht, nicht zu folgen, hieße dem Untergang und Verderben sich preisgeben. Der Führung dieser unsichtbaren Hand muß man sich überlassen, an ihren göttlichen Ursprung glauben und an sich selbst, und sich dem verzehrenden Schmerz unterwerfen, den ein neuer Abschied von der Heimat, für so lange Zeit und aufs Ungewisse, mit sich bringt“.

Iam vero ad finem perducta est haec de Catulli soliloquiis disputatio simulque etiam propositi nostri termini constituuntur. Nam quae de superiore hominis natura eiusque usu et vi in Romanorum litteris explorare potui, docuisse mihi videor cum ex posteriorum temporum litteris nihil fere novi adferri possit. Nisi forte in memoriam revocanda sunt, quae de Marci Aurelii secum loquendi ratione disputavit Brunsius (Vortr. u. Aufs. p. 316): „Den festen Punkt in der Weltanschauung des M. Aurel bildet die Vernunft des Menschen. Dieses Göttliche in uns stellt sich seiner Anschauung wie ein Dämon für sich dar. Er berührt sich dabei mit der römischen Weltanschauung, die von jeher an einen Genius geglaubt hatte, der den Menschen von seiner Geburt an wie ein guter Schutzgeist umschwebt. Man opferte diesem höheren Wesen, das gleichsam das bessere Selbst des

Menschen darstellt. Dieser Genius, philosophisch erklärt der zu Mensch gewordene Teil des göttlichen Wesens, das uns alle umfaßt, tritt bei diesen Selbstgesprächen wie persönlich an den Kaiser heran, das göttliche spricht zu dem sinnlichen Ich und ermahnt es, eingedenk zu sein des Zusammenhanges mit dem alles umfassenden Geist". Ac nescio an melius nunc comprehendamus Augustini rationem, qua dixit retract. I 4, 1: *Inter haec scripsi duo volumina ..... me interrogans mihique respondens tamquam duo essemus ratio et ego cum solus essem; unde hoc opus soliloquia nominavi.*

Vita.

Natus sum Henricus Otter Augustae Trevirorum a. d. IV. Kal. Febr. MDCCCXC patre Martino matre Elisa e gente Vial quos adhuc superstites esse maxime gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae; Borussus sum. Litterarum elementis a grammatista acceptis per novem annos frequentavi urbis meae gymnasium, quod ab imperatore Guilelmo appellatur. Unde maturitatis testimonium adeptus vere anni MCMIX Marpurgum me contuli, ut litterarum studio curam et operam darem. Autumno a. MCMX Bonnam migravi ibique bis sex menses scholas audivi. Deinde ad almam matrem Philippinam reversus sum, ut studia mea philologa ad finem quendam perducerem. Cuius academiae civis usque ad ver a. MCMXIV fui.

Docuerunt me viri doctissimi Bonnenses: Brinkmann, Cardanus, Clemen, Elter, Marx, Nissen, Solmsen, Wentscher, Wiedemann. Marpurgenses: Birt, Busch, Cohen, Geldner, Hartmann, Jacobsohn, Jacobsthal, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Mirbt, Natorp, Rade, von der Ropp, Schwarz, von Sybel, Thumb. Proseminarii exercitationibus ut interessem, benigne permiserunt Thiele, Marx, Elter. Marpurgi ut seminarii sodalis essem ordinarius per ter sex menses, Birtii, Kalbfleischii, Maassii, beneficio factum est. Exercitationibus suis praeterea me admiserunt historicis Klebs, Stengel, archaeologicis Loeschke, Jacobsthal, linguisticis Solmsen, philosophicis Hartmann.

Quibus viris omnibus quod debeo nunquam obliviscar. Inprimis gratias semper habebo maximas Theodoro Birt, qui ad hoc opusculum suscipiendum me incitaverit et consilio operaque me saepissime adiuverit.